Fr: Giuseppe Antonio Dado.

PSYCHOLOGIAE

ECLECTICÆ

ELEMENTA

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS
ACCOMODATA

AUCTORE

**PATRE ODOARDO
DEL GIUDICE**

ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA

IN EPISCOPALI PERUSINO S. BASILII COLLEGIO
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

EDITIO ALTERA

Emendata, illustrata, aucta

PERUSIÆ MDCCCXXV.

TIPYS FRANCISCI BADUEL

APUD VINCENTIUM BARTELLI, ET JOANNEM COSTANTINI

Superiorum Adprobatione

Nihil potentius ista creatura, quae mens dicitur rationalis; nihil hac creatura sublimius. Quidquid supra istam est, jam Creator est. S. Augustinus (Tract. 23. in Jo. n. 6.).

PRÆFATIO.

Non est, cur Juvenes nostros, in quorum gratiam hanc alteram Metaphysicae Partem in lucem edimus, diutius moremur. Unam tantum ejusdem praestantiam utilitatemque innuisse sufficiat. Profectò communi Sapientiorum sententia ars omnium maxima est nos ipsos novisse: hinc enim uberrima illa summique ponderis in veritatis inquisitionem assecutionemque, in Philosophiam morum, in Jus ipsum Naturae, in naturalem etiam Theologiam, in Religionem quoque emolumenta dimanant. Facile nobis esset neque fortasse abs re omnia haec et singula perspicue invictissimeque ostendere, nisi res ipsa per sese loqueretur. Quocirca dolendum quam maxime est, adeò penes hominum plerosque hanc philosophicarum Disciplinarum partem aetate nostra viluisse, ut Adolescentes aut vix summis eamdem delibent labiis, aut etiam, quod est plane intolerabile, ne a limine qui-

dem salutent; dumque omni conatu operam suam futilibus delicatioribusque, quae animos emolliunt ac frangunt, navant studiis, ea, quae ad vitam rite instituendam mirum in modum conferunt, deserere turpiter, quin et impudentissime contemnere aspernarique non verentur. Quid porro? Scilicet id genus ingenia, quae Cl. Malebranchius superficiaria *atque* effeminata *jure adpellaret, supereffluentem illam colluviem Opusculorum, quae Atheistae, Deistae, Increduli, Libertini, aliique ejusdem farinae in vulgus spargunt, et in quibus sive spiritalem sive immortalem sive liberam Mentis humanae conditionem ratiunculis, sophismatibus, fallaciis, cavillationibus, licet millies extricatis solutisque, evertere pertentant vel saltem implicant, tanto avidius arripiunt legunt meditantur, quanto elegantiori fucatiorique stylo exarata sunt, salibusque vel etiam romanensibus fabulis atque amoribus aspersa. Quid ergo mirum, si cum aut nullam aut certe non penitiorem de metaphysicis hisce Disciplinis notitiam sibi comparaverint, latens virus, cujus illa scatere solent, incaute exsugant primum, tum reti-*

neant, digerant quoque, ac demum veluti in alimentum convertant? Equidem demiratus non semel fui, ea ipsa, quae stomachum mihi movebant (adeo nempe vana erant temeraria contorta absurda), a quibusdam scitulis, qui docti ac literati videri amant, delectationem maximam adprobationemque extorsisse. Ceterum aequum plane est, ut si impios homines scelestissimosque non pudet, arma in ea Metaphysicae capita, quae ad sanctissimam Religionem nostram pertinent, ut Religionem ipsam impetant, vertere; armis quoque se muniant ejusdem Filii ac Discipuli, quibus hostium tela validissime retundant, aut etiam frangant penitus atque disperdant. Huc potissimum spectant saltem eorum pleraque, de quibus in hisce nostris Eclecticæ Psychologiæ Elementis disseruimus. Faxit Deus, ut quod votis prosequimur, factis assequamur.

REIMPRIMATUR

Fr. Joannes Andreas Luvisi S. Offi.
Perusiae Inq. Gen.

REIMPRIMATUR

Canonicus Philippus Pacetti
Vicarius Gen.

VIDIT

Hadrianus Fieschi Delegatus Apostolicus

IN ALTERAM METAPHISICÆ PARTEM

SEU

IN PNEUMATOLOGIAM

ISAGOGE.

De Pneumatologiæ nomine, natura, ac divisione.

1 *Pneumatologia* graece, latine *Sermo de spiritibus*, illa appellatur Philosophiae Pars, quae spiritales substantias, earumque naturam, proprietates, affectiones, cetera, una naturali ratione duce, versat et contemplatur.

Divisio.

2. Triplex potissimum spiritualium substantiarum genus assignari a Philosophis solet, hoc est *Mens humana*, *Angeli*, ac *Deus*, quibus etiam Brutorum *animam* addere nonnulli consueverunt. Hinc triplex quoque Pneumatologiae Pars, *Psychologia*, in qua de Mente humana; *Daemonologia*, in qua de Angelis; ac demum *Theologia naturalis*, in qua de Deo, disputatur. At cum sola naturalis ratio nonnisi pauca, eaque unis conjecturis disserere de Angelis possit; hanc Pneumatologiae partem, quam pluribus ex divina Revelatione desumptis versant Theologi, plane non curamus.

PNEUMATOLOGIÆ PARS PRIMA

SEU

PSYCHOLOGIA.

3. *Def. Psychologia*, seu *Psychesophia* graece, latine est *sermo* sive *scientia de anima*.

4. *Scol.* Plura de anima humana cum Veteres tum Recentiores inquirere solent ac disputare, idque duplici praesertim via; scilicet quae ad animum nostrum pertinent,

nent, vel intimo sensu nobis innotescunt, velut ejusdem effectus, puta perceptiones, judicia, volitiones, similia; vel ope ratiocinationis illa deducimus, velut quum ex jam notis per internam experientiam ejusdem operationibus affectionibusque spiritalem ipsius naturam inferimus. Hinc duplex Psychologia, *empirica*, quae mentis nostrae operationes investigat, versat, expendit: et *rationalis*, quae ex ipsis intimam ejusdem mentis indolem deducit. Nos utramque pro rerum opportunitate simul conjungimus. Porro triplici Sectione rem totam absolvemus, in quarum prima de humanae Mentis spiritualitate, immortalitate, essentia, origine, ac multitudine; in altera de eadem quo ad humanum corpus, cui copulata est, spectata; in postrema denique de ejus facultatibus atque affectionibus disputabimus.

SECTIO I.

De spiritualitate, immortalitate, essentia, origine, et multiplicitate Mentis humanae.

CAPUT I.

De Mentis humanae spiritualitate.

QUÆSTIO I.

Utrum Mens humana sit substantia spiritualis?

5. *Def.* 1. *Mentem humanam* dicimus principium illud, quod in nobis cogitat, percipit nempe, judicat, ratiocinatur, vult, ceterasque id genus, quas in nobis ipsis experimur, actiones sibi elicit.

6. *Scol.* 1. *Mentem*, *animum*, *animam* promiscue usurpamus, licet his nominibus diversas res, vel eamdem quidem, sed sub diversis aspectibus nonnulli ex veteribus, atque etiam ex recentioribus intellexerint. Quibusdam Latinis *mens* est non ipsum principium, quod in nobis cogitat, sed ejus intelligendi seu cogitandi vis et facultas. *Mediam* quamdam substantiam, quae vitae corporis et sensionum principium esset, invexerunt alii, eamque adpellarunt *animam*, atque a *mente*, quae, si ipsos audiamus, nonnisi rationales operationes in nobis elicit, *realiter realissime*, ut loqui amant Scholae, seu tan-

quam

quam substantiam a substantia distinguunt (*Ontol.* §. 121.) Cartesius demum, Sylvanus Regis, aliique unam eamdemque substantiam vocant *mentem*, si in se ipsa spectetur; *animam* vero, quatenus corpus, cui copulata est, informat.

7. *Scol.*2. Mentem humanam esse veram proprieque dictam substantiam, facile quisque concedet, si animadvertat, cogitationem esse accidens seu modum, qui sine subjecto sive substantia, cui inaereat vel in qua insit, ut existat, esse nullatenus potest (*Ontol.* §. 161.). Hanc porro substantiam *mentem humanam* nos adpellamus (§. 5.).

8. *Def.* 2. *Substantia corporea* seu *materialis* illa est ac dicitur, quae impenetrabilitate, inertia, gravitate, vel etiam extensione, divisibilate, figurabilitate, ut Scholae loquuntur, ceterisque, quae *nota* materiei *attributa* seu *propietates* vocantur, donata est.

9. *Scol.* Celebris est penes Philosophos contraversia, num corporum principia omnium prima sint substantiae compositae: an potius physice simplices, quae nempe quibusvis partibus, in quas dividi re ipsa possint, destitutae sint? (*Ontol.* §. 72.) Rem hanc definire praesentis instituti non est, praesertim cum satis superque esse videatur, si haec corporum principia impenetrabilitate donata sint atque inertia; quod quidem nemo illorum negabit, quibuscum mox disputabimus. (*)

10. *Def.*

(*) *Corpora, eorumque principia has vires reapse habere, et quidem ita, ut intrinsecae eisdem sint, negat Malebranchius, et cum ipso Occasionalistae, quorum judicio res omnes corporeae quavis vi etiam mere activa destituuntur* (Ontol. §. 297.). *Fatentur tamen, has ipsas res ejusmodi legibus subjici, ut versus Telluris centrum tendant, una nequeat alterius locum eodem tempore occupare, nullaeque demum sive ad motum sive ad quietem, verbo, ad sui status, quem obtinent, mutationem determinare sese possint; quae quidem gravitati, impenetrabilitati, atque inertiae ad amussim respondent. Ceterum si carent vi quacumque; manifestum per se est, nullo prorsus modo cogitare ipsas posse.*

10. *Def.* 3. *Substantia spiritualis* dicitur illa, quae et cogitans est, et incorporea seu immaterialis.

11. *Corol.* Non proprio in sensu *spiritus* dici solet a Chemicis fluidissima et actuosa quaedam substantia, quam ipsi suis operationibus ex mistis corporibus eliciunt, velut *spiritus* vini, salis ammoniaci, vitrioli, similium. Hoc idem dicas velim de spiritibus, quos vocant *animales*, ac de vento, qui passim in Sacris Scripturis *spiritus* adpellatur: quaevis enim ex his substantiis nec cogitans est, ut subinde ostendemus, neque incorporea.

Sensus quaestionis.

12. Eo itaque spectat disputatio haec nostra, nempe an principium illud, quod in nobis cogitat, seu mens humana (§. 5) sit substantia corporea (§. 8.); an potius incorporea seu spiritualis (§. 10.)?

Philosophorum sententiae.

13. *Habere nos animum, cujus imperio et impellimur et revocamur, omnes fatebuntur*, inquit Seneca (*a*); *quid tamen sit animus ille rector dominusque nostri non magis quisquam expediet, quam ubi sit*: dubiam nempe esse, penitusque ignorari humanae mentis naturam docuit, et cum eo Heraclitus apud Laertium (*b*). Cum subtiliori aere ipsam confundunt Anaximander, Anaximenes, et Archelaus (*c*); cum puriori sanguine Critias; cum igne et siderea quadam substantia Zeno stoicus, et Hipparcus; cum aqua Hippo; cum terra et aqua Xenophanes; cum terra et igne Parmenides; cum materia exiguissimisque atomis Epicurus, et Democritus, quod nostris etiam temporibus nonnullos orientales populos opinari, scribit Laloubere (*d*). Sed prae ceteris eminet Lucretius Carus, qui animam ex *aura tenui*, *vapore calido*, atque, *aere* conflari docet (*e*). Cum tamen haec tria vel ipsi apta ad cogitandum non viderentur, *quartam* addidit substantiae materialis speciem, quam *nominis expertem* dicit. Non defuerunt ex Hebraeis (*f*), atque etiam, quod magis

(*a*) *Lib.* 7. *qq. natur. cap.* 24. (*b*) *Lib.* 9. *seq.* 7.
(*c*) *Gassendus Phys. Sect.* 3. *lib.* 1. *cap.* 1.
(*d*) *Voiage au Roiaume de Siam tom.* 1.
(*e*) *lib.* 3. *de natura rerum.*
(*f*) *Philo de Gigant.*, *et lib. de confus. Linguar.*

mirandum est, ex christianis Philosophis, qui mentes nostras ex materiali substantia concretas arbitrarentur, uti inter alios Hobbesius (a), Auctor Libri *Historie de l' ame*, Mirabaud (b), Voltaire (c), Freret (d), Auctor operis *l' homme machine*, qui Metryus esse creditur, Yvonius, Tolandus, Dodvvellus, Cowardus, aliique non pauci, praesertim vero miserandorum nostrorum temporum Increduli et Libertini, qui omnes *Materialistæ* vulgo adpellantur. Lokium, quem Voltaire summis exornat laudibus (e), carpunt nonnulli, quasi ipse de spiritali humanae mentis natura dubitaverit. Verum, ut ingenue dicam quod sentio, omnino immerito: nam anceps quidem est, num fieri possit divina, saltem virtute, ut materia cogitet (f), atque hinc naturali ratione demonstrari non posse asserit, mentem humanam esse substantiam spiritualem; at simul certum id plane esse ex divina Revelatione, apertissime scribit. Itaque bonus catholicus, sed non bonus Philosophus.

Principium.

14. Nulla res constare ex iis potest, quae se mutuo destruunt (*Ontol*. §. 13.).

LEMMA I.

Nonnisi substantiae physice simplici convenire potest perceptio.

15. *Pr*. Si perceptio substantiae physice compositae, seu quae ex aliis substantiis velut ex totidem sui partibus coalescit (*Ontol*. §. 72.), convenire posset; vel omnes illae partes rem aliquam, puta triangulum perciperent, vel tantum aliquae, vel demum nonnisi una. Si omnes; rursus a Materialistis quaesiverim, num unaquaeque totum ipsum perfectumque concipiat triangulum; an potius una unum dumtaxat trianguli latus; altera alterum, atque ita porro. Si primum; non unum tantum in nobis esset cogitandi

(a) *In Leviathane part*. 1. *cap*. 3., *et in Elem. Phil. cap*. 25. *art*. 2. (b) *Sisteme de la nature part*. 2. *chap*. 7.
(c) *Amusemens litteraires tom*. 2.
(d) *Oeuvres tom*. 4. *Lettre* 5. *a Eugenie*.
(e) *Metaphys. part. prem. chap*. 6.
(f) *De intel. humano lib*. 4. *cap*. 3. §. 6.

gitandi principium, nec tantum una trianguli perceptio, bene vero tot, quot sunt partes illae, ex quibus constaret composita substantia cogitans. Utrumque porro intimo uniuscujusque sensui plane adversatur. Sin autem alterum; si nempe una compositae substantiae pars unum trianguli latus, et altera alterum perciperat; profecto totius trianguli, quatenus triangulum est, cognitio in nobis esse non posset: cum enim partes illae sint totidem substantiae, quarum nulla opus habet altera, ut existat (*Ontol.* §. 158.), sed unaquaeque realiter distincta est ab altera, singularis, et individua; fit inde, ut concipiantur quidem tres distinctae lineae, non tamen totum ipsum triangulum, quatenus triangulum est: nam unaquaeque suum perciperet latus trianguli, sed quid pars altera percipiat, non sane dignosceret. Exemplo rem hanc illustrat Petrus Bayle (*a*): *figuratevi dipinte sovra d' un globo le quattro parti del Mondo. Voi nulla in questo globo vedete, che comprenda tutta l'Asia, anzi nè pur tutto un fiume.... Quinci pertanto ne siegue, che se questo globo capace fosse di conoscere le figure, di cui va adorno, nulla però avrebbe in se, che dir potesse*: io conosco tutta l' Europa, tutta la Francia, tutta la Città d' Amsterdam, tutta la Vistola. *Ciascuna parte conoscere soltanto potrebbe la porzion di figura, ond' è tocca*. Hoc idem constat, si tres homines ita comparati essent, ut unus nonnisi unum trianguli latus, et alter alterum perciperet; scilicet horum nullus perfectam de toto triangulo cognitionem re ipsa haberet. Quamobrem non omnes partes substantiae compositae triangulum percipiunt. Sed nec tantum aliquae: in primis enim nulla adparet sufficiens ratio, cur ipsae dumtaxat, non autem ceterae, cogitare dicantur. Tum eadem plane ratiocinatione, quam mox adhibuimus, urgeri possunt Materialistae. Superest ergo, ut postremum adserant, nempe unam subsantiam, quae pars est composita, totum triangulum percipere. Verum una haec substantia vel composita est ex aliis, vel omnino ac physice simplex. Non quidem primum illud: eadem enim paullo ante

(*a*) *Diction. histor. art.* Leucippe *Remar.* E.

te adducta a nobis ratio assertionem hanc manifestae falsitatis revinceret. Igitur hoc alterum, atque ideo nonnisi substantiae &c. *Q. E. P.* (*).

16. *Corol.* I. Mens humana, quae est principium, quod in nobis percipit (§. 5.), est substantia physice simplex.

17. *Corol.* II. Neque extensionem, neque figuram, neque divisibilitatem habere potest mens nostra: extensio enim est exitentia partium extra partes; figura est limes extensionis; divisibilitas postremo partes supponit, quae sejungi ab invicem possint. At substantia physice simplex, cujusmodi est mens nostra (§. 16.), nullas omnino partes habere in se potest (*Ontol.* §. 72.); igitur neque extensionem, neque figuram, neque divisibilitatem, neque aliud quidpiam, quod partes necessario complectatur.

LEMMA II.

Judicium et ratiocinatio cum impenetrabilitate pugnant.

18. *Pr.* Judicium est illa mentis nostrae actio, qua judicium aliquod ex aliis deducit (*ibid.* §. 187.). Quamobrem in utroque plures simul, et quidem eodem temporis momento conferuntur distinctae ideæ, a quibus actio illa, qua mens judicat vel ratiocinatur, plane distinguitur (*ibid.* §. 109.). Itaque actio isthaec vocetur A; ideæ vero, quae conferuntur, B, C, D. Porro ideæ, si Materialistas audiamus, nihil aliud sunt, quam motiones substantiae corporeæ, ut vel ipse fatetur Hobbesius, et ratio, qua constat, omnia, quae in materia fiunt, nonnisi motu fieri, satis abunde demonstrat. Quare laudatae ideæ sint extensi impenetrabilis F motiones.

Con-

(*) *Quod de perceptione universim accepta hactenus diximus, de qualibet etiam ejusdem speciè dicendum aeque est; adeo ut sive sensio, sive intellectio, sive reflexio, sive conscientia, sive quaevis alia id genus actio mentis nostrae non possit nisi substantiae phisice simplici convenire.*

conferri simul non possunt, nisi ipsae ita in A confluant, ut se mutuo in eadem repraesentent: secus enim nulla unquam esset comparatio. Non quidem in substantia, quae est subjectum motionis seu ideae B: haec enim substantia nequit ideam B, quam habet, cum idea C, quam non habet, comparare. Quam, inquam, non habet: quaelibet enim ex his substantiis, proindeque et quaelibet earumdem motio individua est et singularis, unde una motio seu idea alteram non comprehendit. Hoc idem dicatur de substantiis, quae sunt subjecta motionum C, et D. Jam vero motiones B, C, D nequeunt in A confluere, nisi aut quatenus totidem particulae extensi impenetrabilis F, quae sint trium illarum motionum subjecta, in unum, scilicet in A compenetrantur; aut quatenus actiones et motiones tantum sine suis subjectis in unum confluunt. Non quidem hoc postremum: nam modificationes existere sine subjectis suis non possunt (*Ontol.* §. 161.). (*) Superest ergo primum. Atqui apertissime id pugnat cum impenetrabilitate, vi cujus una particula resistit alteri, ne eumdem locum, in quo ipsa est, eodem tempore occupet. Ergo judicium et ratiocinatio &c. *Q. E. P.* (**).

(*) *At, inquis; diversae motiones possunt in unam eamdemque substantiam se se recipere, adeo nempe ut sine subjecto aliquo nunquam existant, sed tantum ab uno ad aliud transeant, uti in corporibus, quae a diversis viribus aguntur, non semel observamus. Ita sit. Atqui diversae illae motiones unam subinde eamdemque plane novam et compositam efficerent, quae a prioribus distincta est et diversa; quemadmodum ex mechanica edocemur. In hac itaque Materialistarum hypothesi in judicio et ratiocinatione priores diversae ideae perirent, atque ex ipsis una tantum ac nova ab illis diversa emergeret; quod tamen falsum est: nam ideae in actu judicii et ratiocinationis et eadem, ut antea, perseverant, et non una tantum, sed plures sunt.*

(**) *Judicium elici a substantia corporea, sive composita sit sive etiam physice simplex, non potest. Non quidem a composita: nam praeterquamquod cum ejus im-*

pe-

19. *Corol.* Mens humana, quae judicat, et raciocinatur (§. 5.); esse non potest substantia impenetrabilis.

LEMMA III.

Libertas pugnat cum inertia.

20. *Pr.* Per libertatem caussa, quae praedita eadem sit, potest sese determinare, tum, positis etiam omnibus ad agendum requisitis, non agere (*Ontol.* §. 148.); Per inertiam vero res, quantum ex se est, in eodem semper

---

penetrabilitate manifeste pugnat (§. 18.); *perspicuum quoque est, quod substantiae, ex quibus illa componitur vel unam eamdemque habent motionem, vel diversas. Si primum; ergo motiones seu ideae non essent diversae; plane aliter ac judicii natura expostulat, ad quod diversae ideae omnino requiruntur* (Log. §. 108.). *Sin autem alterum; hae plures ac diversae motiones seu ideae, neque eidem tempori neque eidem loco coexisterent. Non tempori: motus enim est successivus, et successivis tempusculis necessario absolvitur. Sed neque loco, cum motus sit ab uno ad alium locum translatio. At vero ideae, ex quibus ceu ex materia judicium componitur* (ibid. §. 109) *eidem tempori et loco coexistunt. Tempori quidem: nam hic et nunc in judicio conferuntur; loco autem: quippe in unum confluant necesse est* (§. 18.). *Tum si secus, certe essent ab invicem separatae, neque proinde in judicio affirmativo simul conjungerentur, cum tamen simul conjungi in id genus judicio debeant* (Log. §. 108.). *Verum neque etiam a substantia corporea physice simplici elici potest judicium. Sicut enim plures, diversasque, imo etiam oppositas ideas non semel complectitur; ita una illam et simplex substantia plures, diversasque, atque oppositas motiones eodem momento temporis habere deberet; quod manifesto repugnat: quippe inspectis naturae viribus, una eademque substantia nequit in pluribus diversisque locis eodem tempore reperiri. Tum motus, hoc est, successiva translatio successivum tempus omnino requirit. Haec eadem de ratiocinio, quod ex judiciis constat, dicta sint, et intelligantur.*

per statum, in quo semel est posita, necessario perseverat, nec potest agere, si in quiete sit, neque non agere, si praesto eidem sint omnia ad agendum requisita. Libertas itaque pugnat cum inertia. Q. E. P.

21. *Animad.* Mentem humanam libertate donari, hoc loci supponimus; quod tamen subinde adversus Fatalistas invicte demonstrabimus (*quaest. XVIII.*)

LEMMA IV.

Si mens humana esset substantia corporea seu materialis, constaret ex iis, quae se mutuo destruunt.

22. *Pr.* Mens humana est principium illud, quod in nobis cogitat, percipit nempe, judicat et ratiocinatur (§. 5.), atque est libera (§. 21.). Perceptio autem, cum non possit convenire nisi substantiae physice simplici (§. 15.), cum extensione, divisibilitate, et figurabilitate manifesto pugnat (§. 17.); judicium vero et ratiocinatio cum impenetrabilitate (§. 18.); ac demum libertas cum inertia (§. 20.). Cum itaque mens nostra, si esset substantia corporea, extensione, divisibilitate, figurabilitate, vel certo certius impenetrabilitate, atque inertia praedita sit oporteat (§. 8.); perspicuum est, quod ipsa ex iis, quae pugnant inter se, seu quae se mutuo destruunt, omnino constaret. Q. E. P.

PROPOSITIO.

Mens humana est substantia spiritualis.

23. *Pr.* Nulla res constare ex iis potest, quae se mutuo destruunt (§. 14.); atqui ex iis, quae se mutuo destruunt, constaret mens nostra, si esset substantia corporea (§. 22.); igitur corporea non est. Atqui est etiam cogitans (§. 5.); cum itaque substantia, quae cogitans est et incorporea, *spiritualis* sit ac dicatur (§. 10.); mens humana est substantia spiritualis Q. E. P. (*)

Mate-

(*) *Aliis pluribus ostendi a Philosophis solet, mentem humanam non corpoream, sed spiritalem esse debere. Et quidem « Ipsa in eodem plane loco consistens, pernicissime ac pro lubito rimatur Telluris viscera, et caelos, earumque immensa spatia cogitatione percurrit. Idne materiae inerti gravi ac tardae convenire posse sanus homo sibi persuaserit? a. Phantasiae deliria, etiam* dum

Materialistarum argumenta solvuntur.

24 *Ob.* 1. Praecipuum spiritualitatis mentis humanae argumentum ex eo desumitur, quod materia cogitare non possit; sed materiam cogitare non posse, nonnisi te-

---

dum furunt, sensuumque errores, dum adhuc vigent, dignoscit quandoque mens nostra, ac reprehendit. Qui autem istud, si corporea esset, et materialis? Numquid motio seipsam animadvertit et corrigit? non sane, nisi aliam motionem et quidem distinctam, atque oppositam in se complectatur: quod et ridiculum est et absurdum. Num ab alia, eaque contraria motione corrigitur? In hac hypothesi dubitari non potest, quin hae ipsae motiones in se invicem agentes collidantur aliquo saltem modo, paulloque minuantur. At vires, quibus mens deliria phantasiae ac sensuum errores emendat, non modo eaedem perseverant, sed etiam interdum augentur. adeo ut errores illos et deliria distinctius vividiusque subinde dignoscat. Igitur aliud sumus nos, et aliud sensus; aliud phantasma, et aliud ratio; aliud corpus, et aliud mens. 3. *Si vocabulum* bog *protuleris, dum Polonus, Anglus, Italusque exaequo audiunt, eamdem profecto in ipsis excitabis motionem; atque ideam, si quidem hæc non esset nisi substantiae materialis affectio. Prior tamen ideam* Dei, *alter voraginis, postremus tandem nullius plane rei sibi comparabit.* 4. *Si esset corporea, profecto res incorporeas ac simplicissimas, quae cadere sub sensus nequeunt, puta Deum, Angelos, virtutem, vitium, pulchritudinem, universalia principia, atque id genus sexcenta contemplari non posset, neque dignoscere.* 5. *Exilissimae nostri corporis, ideoque etiam cerebri particulae avolant perpetuo, atque aliae prorsus diversae in illarum locum sufficiuntur. Si ergo mens nostra non esset nisi earumdem congeries; ipsa profecto non posset earum rerum, quas perceperat retroactis temporibus, nunc recordari: siquidem anteactae cognitiones una cum suis subjectis seu particulis evacuissent penitus, vel saltem fuissent plus minus mutatae.* 6. *In hac eadem hypothesi quaevis cogitatio esset motio vel motio-*

 num

temere adseritur : ergo etc. *P. min.* Asseri prudenter nequit, materiam non posse cogitare, nisi simul dicatur omnipotentem Deum efficere virtute sua non posse, ut ipsa materia cogitet ; atqui omnipotentem Deum non posse efficere, ut materia cogitet, nonnisi temere, ne dicam impie adseritur : ergo etc. (*)

25. ℟. *C. maj.*, *D. min.*, omnipotentem Deum etc., nonnisi temere etc., si eidem materiae non repugnaret cogitatio, *C.* secus, *N. min.*, et *Cons* Probatum est Philosophis, nihil detrahi omnipotenti Deo, si praestare illa non posse dicatur, quae plane repugnant : haec enim cum sint absolute impossibilia (*Ontol.* §. 25.), ac purum nihil (*ibid.*§.11.) ; nec sunt nec esse possunt divinae voluntatis ac virtutis objiectum (*ibid. Annot. ad* §.22.). An tu dixeris, Deum posse efficere, ut circulus quadratus existat ? Porro cogitationem repugnare materiae, manifestum est ex quo, si eidem conveniret, ipsa ex iis constaret, quae se mutuo destruunt (§. 22.). (**)

26. *Inst.*

---

num complexio. Haec autem eodem tempore esse non potest in omnibus hominibus, imo vero ne in pluribus quidem aut etiam in duobus tantum una eademque seu perfecto similis ; in eodem quoque homine ad horas variatur. Igitur una eademque aut constans esse in iisdem non posset lex naturalis, aut hujus dictamen, vel sensus moralis, vel principium speculativum ; quod quidem quantum a veritate alienum sit, nemo unus ignorat.

(*) Quel' est l' homme, qui osera assurer sans une impieté absurde, qu' il est impossiblé au Createur de donner a la matiére la pensée, et le sentiment .... Et qui peut empecher Dieu de communiquer à nos organes plus deliés cette faculté de sentir, d' appercevoir, et de penser, que nos appellons raison humaine ? *Voltaire* (Lettre 13. sur M. Loke).

(**) La pensée, il est vrai, semble n' avoir rien de commun avec les attriburs, que nous connoissons dans l' etre etendu du' on appelle corps, mai connoissons nous toutes les proprietes des corps ? *Voltaire* (Met. prem. part. chap. 6.).

26. *Inst.* Nisi intima cogitationis et materiae essentia dignoscatur, nonnisi temere adseritur, cogitationem materiae repugnare; atqui intima cogitationis et materiae essentia dignosci a nobis non potest; ergo etc. (*).

27. ℟. *D. maj.*, nisi intima cogitationis et materiae essentia dignoscatur quoad omnia, nonnisi temere etc. *N.*, nisi saltem quoad aliqua dignoscatur, nonnisi temere etc. *C. maj.*; et *D. min.*, intima etc. dignosci a nobis non potest quoad omnia, *C.*, ne quoad aliqua quidem, *N. min.*, et *Cons.* Deus nec est nec esse potest corpus, aqua non est ignis, neque homo est lapis. Quis tamen ex Materialistis venditare praesumpserit, se nosse intimam quoad plane omnia et singula Dei et corporis, aquae et ignis, hominis et lapidis essentiam? Ut unum non esse nec esse posse alterum tutissime adseramus, satis est ac super, si aliqua, quae certo distincteque nota nobis sunt, in uno existant, quae alteri prorsus repugnant. Id porro in re, de qua agimus, manifestum esse, hactenus dicta quam luculenter ostendunt.

28. *Inst.* Nisi quoad omnia omnino dignoscatur intima cogitationis et materiae essentia, ne sciri quidem potest, nullam in materia ipsa vel in cogitatione inesse vel inesse posse affectionem, proprietatem, aut modum, vi cujus cogitatio reapse non repugnet materiae; atqui nisi sciamus, nullam in materia vel cogitatione inesse vel inesse posse affectionem, proprietatem, aut modum, vi cujus materiae non repugnet cogitatio, nonnisi temere adseritur, eidem materiae cogitationem repugnare: ergo &c.

29. ℟. *D. maj.*, nisi etc., ne sciri quidem potest *directe et immediate*, nullam etc., *C.*, *indirecte* saltem et *mediate*, *N. maj.*; *D. min.*, nisi sciamus *indirecte* saltem et *mediate*, nullam &c., nonnisi temere &c. *C.* nisi sciamus *directe et immediate*, nullam &c., nonnisi

(*) *Cuentz illo utitur apud Matthaeum testimonio*: potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae (cap. 3, v. 9.). *Sed ineptissime: nam in hypothesi, quod homines ex lapidibus reapse efformaret Deus, profecto non essent nec dici possent Abrahae filii. Sensus ergo est, Deum posse cor lapideum in cor carneum, ut passim loquuntur Scripturae, seu obduratos homines atque impios in dociles ac justos convertere.*

temere &c., *N. min. et Cons.* Certissime novimus, nullam omnino esse vim, ne divinam quidem, proprietatem nullam, nullamque affectionem, modum, aut attributum, cujus subsidio et efficacia pugnantia, absolute impossibilia, et quae se mutuo destruunt, esse ac fieri demum possint. Cum itaque hujusmodi sint materia et cogitatio; *indirecte* saltem ac *mediate* compertissimum nobis est, nihil omnino in materia vel in cogitatione inesse vel inesse posse, vi cujus haec duo conciliari simul queant (*).

30. *Ob.* 2. Cogitationis essentia in actione et reactione partium organorum sensoriorum et cerebri est posita; sed harum partium humani corporis actio et reactio materiales sunt et corporeae: ergo etiam cogitatio, proindeque falsa propositio. *P. maj.* Illud censetur alicujus rei essentia, quo posito res illa ponitur, et quo sublato, res illa tollitur; atqui posita partium organorum sensoriorum et cerebri actione et reactione, ponitur cogitatio, illaque sublata, haec quoque tollitur: ergo &c.

31. R. *D. maj.*, Illud censetur &c., ita ut sit etiam *immediate et intima* ratio, cur ponatur res illa vel tollatur, tum alios habeat verae essentiae characteres, *C.*, si sit *mediata* dumtaxat atque *extrinseca* ratio, seu *occasio*, cur ponatur res illa vel tollatur, *N. maj.*; *et D. min.*, posita partium &c., et actio illa et reactio sunt *mediata* tantum et *extrinseca* ratio, seu *occasio*, cur ponatur vel tollatur cogitatio, *C*, sunt ratio *immediata*

(*) *Ob hanc, quae materiam inter et cogitationem elucet, repugnantiam fit, ut quicumque sit vel confingatur possibilis partium ipsius materiae etiam defecatioris puriorisque nexus, commissura, mixtura, temperatio, affectio, figura, tenuitas, motus, vel quidvis aliud, nulla unquam vel minima produci ab eadem possit cogitatio. Hinc frustra Materialistae ad causae suae patrocinium assumunt, quod ex memoratis, aliisque materiae qualitatibus affectionibusque velut novae vires affectusque mirabiles in dies oriantur: quidquid enim in materia ipsa est aut fit, esse aut fieri potest, toto caelo a cogitatione discriminetur oportet.*

diata et intima, *N. min.*, *et utramque Cons.* Actio et reactio partium organorum sensoriorum et cerebri haberi nisi inter plures substantias corporeas, quae impenetrabiles sint, non possunt, uti norunt Physici, ac vel ipse Hobbesius, cujus est objectum argumentum, fatetur. Hisce autem pluribus corporeis substantiis repugnat perceptio (§. 15.), earumque impenetrabilitati judicium et ratiocinatio (§. 18.). Igitur laudata actio et reactio nec sunt nec esse possunt intima proprieque dicta perceptionis, judicii, ac ratiocinii, verbo, cogitationis essentia. Quid itaque? Nempe animam inter et humanum corpus adeo arctum intercedit commercium et harmonia, ut positis quibusdam in corpore motionibus, quaedam in mente exoriantur cogitationes, illaeque sint harum *extrinseca* tantum et *mediata* ratio, seu *occasio*; quidquid demum sit de modo, quo mirabile hoc phenomenon perficiatur (*).

32. *Inst.*

(*) *Anonymus Auctor Libri* l' homme machine, *mentem nostram esse materialem ex eo sibi persuadet, quod ex diversa magnitudine, qualitate, ac dispositione cerebri judicari tuto possit de ejusdem mentis acumine vel stupiditate. Sed plane inconsulto; nam etiam ex vultus lineamentis atque externa corporis structura animi propensiones conjiciuntur. An propterea dixerint Materialistae, substantiam, ex qua vultus componitur, externasque corporis partes cogitare, et propensionibus affici? apage delirium. Si laudatam inter animam et corpus harmoniam, ejusque leges spectaveris, rem totam ita explicabis, ut necesse non sit, cogitationem propensionesque humano corpori ejusque cerebro adscribere. Intelliges quoque, cur laeso, deficiente, crescente, vigente corpore, anima etiam laedi, deficere, crescere, vigere videatur; quod est Lucretii* (lib. 3.); *et laudati Auctoris Libri* l' homme machine *argumentum. Tum cur coeli aerisque temperies, cibus, potus, cetera, quae corpus afficiunt, quodammodo in ingenium quoque mentemque influant; quod nobis objectat male feriatus Auctor Opusculi* de l' ame et son immortalitè (chap. 5.) *Scilicet haec*

non

32. *Inst.* Eedem sunt actionis reactionisque partium organorum sensoriorum et cerebri ac cogitationis proprietates: ergo &c. *P. A.* Actioni et reactioni illarum partium humani corporis celeritas convenit; atqui celeritas convenit etiam cogitationi: ergo &c.

33. ℟. *C. maj.* *D. min.*, celeritas toto coelo diversa ab illa, qua praeditae sunt actio et reactio illarum partium humani corporis, convenit etiam cogitationi, *C.*, eadem plane, *N. min.*, *et Cons.* Cujusvis corporis celeritas in eo sita est, quod ipsum dato tempore datum spatium per *veram realem et successivam substantiae suae traslationem* percurrat. Id autem menti nostrae convenire, dum brevissimo tempore coelos perlustrat, vel etiam spatia ubique protensa contemplatur, stultissimum est vel cogitare. Cognitiones itaque non proprio in sensu adpellantur *celeres*, sed tantum quatenus mens ipsa etiam in eodem plane loco consistens citius vividiusque res percipit, de iisdem judicat, ratiocinatur, ac ceteras operationes suas sibi producit.

34. *Inst.* Tam cogitationis quam actionis et reactionis partium organorum sensoriorum et cerebri celeritas ab iisdem producitur externis caussis; crescit etiam vel decrescit, prout validiores vel debiliores fuerint earundem caussarum impressiones: ergo eadem plane est utraque memorata celeritas.

35. ℟. *D. A.*, tam &c., ab iisdem producitur externis causis et quidem *eodem modo*, *eademque ratione* crescit vel decrescit &c., *N.*, secus, *C. A.*, *et N. cons.* Actionis et reactionis partium humani corporis celeritas *immediate*, atque, ut ajunt, *efficienter*, si quidem corpora vim habent agendi, producitur ab externis caussis, quae sen-

---

non attingunt ipsam animae substantiam et naturam, sed tantum ejus operationes, quatenus molestae sunt aut gratae, magisque vel minus vividae, plane consentanee ad corporis humani, a quo pendet anima, aliorumque corporum, quae in nostros sensus agunt, adfectiones. Fuse haec persequitur Auctor Operis Storia critica delle opinioni filosofiche di ogni Secolo intorno all'anima (tom. 1. cap. 2.), *tum Cardinalis Polignac* (Anti-Luc. lib. 5.).

sensus afficiunt, titillant, concutiunt, vel a solo Deo, si corpora, uti arbitramur (*Phys. Gen.* §. 351., 352), omni carent agendi vi; celeritas autem cogitationis nonnisi *mediate et occasionaliter*, ut dici solet, quatenus nempe vi mutui commercii, validioribus impressis in corpore motibus, breviori etiam tempore aut vividius operationes suas sibi elicit mens. Porro crescit celeritas ejusdem actionis et reactionis, quatenus materiales partes breviori tempore idem; vel eodem tempore majus spatium percurrunt; decrescit vero, si vel majori tempore idem, vel eodem tempore minus spatium perlustrant. Sed longe aliter se res habet quoad cogitationem: nam hujus celeritas crescit, si mens in eodem loco existens breviori tempore, decrescit autem, si tempore longiori rem aliquam sibi objectam cognoscit.

36. *Inst.* Utraque celeritas plane easdem sequitur mechanicas leges: ergo &c. *P. A.* Prima lex mechanica est: *corpus quodcumque nequit statum suum, nisi extrinseci agentis actione, mutare*. Sed ipsi ad amussim obtemperat mens nostra: ut enim objecta appetat vel aversetur; a motivis, hoc est, a repraesentatis bonis vel malis pendet. Tum nequit percipere objecta, nisi ab iisdem afficiatur, nec aliter, percipere eadem potest, quam sicuti exhibita ipsi fuerint. 2. *Motus est semper impressae vi motrici proportionalis*. Huic etiam legi mens humana obsequitur: quippe ejusdem propensiones et inclinationes semper sunt ut motiva; tum a validiori constanter determinatur: 3. *Corpus a duabus contrariis et aequalibus adactum viribus, perfecte quiescit*. Hoc idem in nobis experimur: si enim duo sibi contraria ejusdemque efficaciae motiva mentem afficiant, aequales sibique contrariae ac se mutuo destruentes inclinationes et aversationes in eadem gignuntur; ipsa vero haeret omnino suspensa. 4. *Corpus a pluribus conspirantibus impulsum viribus, majori fertur velocitate; impulsum autem a pluribus quidem viribus, sed non plane conspirantibus, directionem vis praevalentis affectat*. Haec porro etiam in anima evenire, nemo est qui non facile animadvertat: si enim ipsa pluribus affecta sit motivis bonis, intensiori appetitione in objectum fertur; sin autem partim bonis afficiatur partimque

timque malis, validiora quidem sequitur, sed non adeo libenter, nec tam intense: ergo &c.

37. R. Hoc argumentum, quod tanti faciunt Materialistae, hoc unum ad summum probaret, scilicet mentem nostram in suis operationibus adigi necessitate, non libertate regi: neque enim inde sequitur, appetitiones et aversationes esse cujusdam corporeae substantiae motiones. Sane quis non perspecte novit, aliud esse motum proprii corporis versus cibos, et aliud internum voluntatis desiderium, quo in cibos illos fertur? Sed, velint nolint Materialistae, mens humana est etiam libera, uti suo loco adversus Fatalistas pluribus invictissimisque ostendemus momentis, et ab objectionibus plenissime vindicabimus (q. XVIII.) Hoc loci innuisse sufficiat, 1. mentem humanam non aliena, ut corpora, sed propria vi ferri in objecta: *Sentit animus*, inquit Tullius (*a*), *se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se sua vi, non aliena moveri*. Ad rerum praesertim sensibilium perceptiones quod attinet, mens nostra est quidem caussa necessaria: unde nihil mirum, si mechanicas corporis leges sequi videatur; sed tamen haec ipsa necessitas non adeo bruta est, ut illam corporis omnino exaequet: potest enim mens a sensibilium rerum contemplatione pro lubito sese avertere, si earumdem impressiones minus vividae fuerint, vel ad unam potius quam ad aliam sese applicare. 2. Propensiones et inclinationes, si quidem *indeliberatae* fuerint, esse ut motiva, cum necessariae sint (*Ontol.* §. 227); non tamen voluntatem ex motivo validiori, si finitum sit, necessario determinare sese (*ibid.* §. 233.). 3. Æqualem quidem indeliberatam inclinationem et aversationem ex duobus aequalibus motivis bonis et malis in voluntate oriri; sed tamen ipsam inter utramque sic arbitram sedere, ut possit alterutri, uti eidem libuerit, liberam suam determinationem adjicere (*ibid.*). 4. denique quamvis indeliberatae inclinationes ex validioribus motivis exortae, sint et ipsae validiores, et si quidem voluntas eisdem consentiant, haec intensiori affectu lubentiusque feratur; ipsam tamen posse

(*a*) *Tuscul. qq. lib. 2. cap. 23.*

se motivis illis obsistere, ac se se non determinare (*ibid.*). Verbo. quum de bonis finitis sermo est, mens humana in suis volitionibus nolitionibusque perfecta gaudet libertate, ac proinde mechanicas corporum leges nec sequitur nec sequi tenetur.

38. *Ob.* 3. Plura alia in medium afferunt Materialistae ut caussam suam, quoquo modo possunt, defendant. Itaque 1. Quod extensum non est, nequit, quod est extensum, repraesentare; mens autem res extensas repraesentat: igitur extensa est.

2. Anima movet corpus, et corpus animam; quod quidem sine contactu aliquo fieri haud potest: sed tangere et tangi, nisi corpus, nulla potest res, inquit Lucretius (*a*).

3. Si animae cum corpore unionem spectemus, facile constabit eadem utriusque natura. Hinc enim ipsa anima est *essentialis* humani corporis *forma*, seu ultima ejusdem corporis perfectio, proindeque et ipsa corporea. Ita fere l' *Ametrie*. Tum aliqua inter utramque hanc substantiam intercedit proportio, ut conjungi simul possint. Sed proportio est duorum homogeneorum secundum magnitudinem comparatio; *homogenea* autem esse debent ejusdem speciei. Postremo vulgatum est illud: *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. Cum itaque humanum corpus, in quo recipitur anima, extensum sit animam quoque erit extensa. Et sane vel anima in extensa aliqua corporis parte existit, vel in unico simplici et geometrico ejusdem puncto. Non hoc alterum; nam punctum geometricum a mente ipsa confingitur. Tum quonam modo poterit anima ex uno puncto simplici tot illas impressiones externas excipere, et operationes producere in corpore, quot eidem tribuuntur? Nervi omnes non in simplex punctum desinunt. Si primum illud: ergo anima extensa est (*). Quod etiam elucet, ex quo anima in aliquo loco sit; quod enim nullibi est, non est: ergo alicui loco coextendi debet (*b*).

4. Sed

(*a*) *Lib.* 1.

(*b*) *Bayle Artic.* Simonide *Remar. F.*

(*) *In hoc argumento maximam inesse vim ad evertendam mentis nostrae spiritualitatem contendit D. d' Argens* (Philosophie du bon sens).

4. Sed simplex sit. Nonne motus, quies, vita, vegetatio, instinctus, attractio, gravitas, inertia, impenetrabilitas, aliaeque corporum vires simplices sunt, indivisibiles, et inextensae? Cur ergo simplex, indivisibilis, et inextensa cogitatio eisdem corporibus convenire non poterit (*)?

5. Prima corporum principia, pluribus fatentibus Philosophis, semplicia sunt. Ergo saltem ipsis cogitandi vis, et cogitatio ipsa, quae simplex est, non repugnabit.

6. Materiali Brutorum animae cogitationem quidam adscribunt. Ergo etiam mens humana esse potest materialis et corporea.

7. Ipsa locali motu transfertur: nam una cum corpore ab uno ad alium locum transit. Sed quod locali motu est præditum, non potest esse nisi corpus.

8. Plu-

(*) C' est une chose, qui paroit bien hardie, que de dir a Dieu, vous avez pû donner le mouvement, la gravitation, la vegetation, la vie a un être, et vous ne pouvez lui donner le pensée. *Voltaire* Metaphys. prem. part. chap. 6.). *Auctor cujusdam Dictionarii philosophici, qui censetur idem Voltaire, ita scribit*, nous sçvons, qu' une negation, et une affirmation ne sont point divisibles, ne sont point de parties de la matiére; je suis de votre avis. Mais la matiere, a nous d' alleurs inconnue, posséde des qualites, qui ne sont pas materielles, qui ne sont pas divisibles: elle a la gravitation vers on centre, que Dieu lui a donné. Or cette gravitation n' a point de parties, n' est point divisible. La force motrice des corps organises, leur vie, leur instinct ne sont pas non plus des etres a part, des etres divisibles: vous ne pouvez pas plus couper en deux la vegetation d' une rose. la vie d' un cheval, l' instinct d' un chien, que vous ne poovez couper en deux une sensation, une negation, une affirmation. Votre bel argument tiré de l' indivisibilité de la pensée ne prouve donc rien de tout.

8. Plures veteres Ecclesiæ Patres animam nostram dixerunt *corpus* (*).

9. Sacra Scriptura innuere videtur, animam humanam in *sanguine* esse (*a*).

39. ℟. *ad* 1. Mens humana non propria, ut ajunt, *entitate* seu substantia objecta extensa sibi repraesentat, quemadmodum picta tabula personam aliquam exiberet, sed simplicissima *cognitione*, sicut Deus, qui profecto simplicissimus est. Et sane si substantia inextensa repraesentare nequit extensum, pari jure non poterit extensa inextensum exprimere. At plura inextensa cognoscimus: Quid igitur? nempe vel duplex in eodem homine admitti debet principium cogitans, quorum unum inextensum sit et percipiat inextensa, alterum vero sit extensum et extensa cognoscat; vel unum idemque simplex et extensum principium utrumque rerum genus sibi repraesentat. Non primum illud; nam nonnisi substantia physice simplex potest rem extensam, puta totum triangulum quatenus triangulum est, percipere (§. 15.). Ergo hoc alterum. Et quidem merito: enim vero affirmatio vel negatio, in quibus situm est judicium (*Log.* §. 109.), simplicissimae sunt (*ibid.* §. 110.), quemadmodum vel ipse Voltaire ingenue fatetur (*Annot. ad n.* 4. §. 38.): igitur ad

(*a*) *Levit. cap.* 17. *v.* 14.

(*) Quant aux Peres de l' Eglise, plusieurs, dans les premieres siecles, plusieurs, dis-je, on cru l' Ame humaine, les Anges, et Dieu corporel. *Voltaire* (Lettre 13. sur. M. Loke). *Nimirum S. Hilarius*, nihil est, *inquit*, in substantia; quod non sit corporeum. Nam et animarum species sive obtinentium corpora, sive corporibus exsulantium, corpoream tamen naturae suae substantiam sortiuntur (Comment. in Matth. cap. 5. n. 8.). *Gregorius Nyssenus*, anima hominis, *ait*, est in semine, licet ibi non appareat (lib. de Opificio hominis cap. 29.). *Mittimus Lactantium* (lib. 2. Institut. cap. 10.), *Clementem Alexandrinum* (lib. 1. in Epist. 1. Petri), *Arnobium* (lib. 2. adv. Gentes), *Tertullianum* (lib. de Anima cap. 7.), *et Concilium II. Nicaenum*, *in quo* (Sess. 5.) *probatum fuit*, *non modo humanam mentem*, *sed etiam Angelos esse circumscriptos*.

ad principium inextensum omnino pertinent. Atqui hoc ipsum principium non semel affirmat vel negat, seu judicat de rebus extensis, et judicium ferri nequit de re aliqua, nisi res ipsa dignoscatur: unum itaque idemque inextensum principium et inextensas res et extensas cognoscit. Quae cum ita sint, nemo non videt, haud sequi, mentem nostram extensam esse, ex quo res extensas percipiat.

40. R. *ad* 2. An et quomodo anima afficiat *corpus*, et corpus animam, implicatissimum erit rerum infra dicendarum argumentum. Ad praesens institutum quod pertinet, innuisse sufficiat, corpus esse animae instrumentum, non tamen in se invicem per verum et realem contactum uti fortasse corpus, in corpus agere. Ceterum opinamur, neque animam in corpus physice agere, neque corpus in animam, quinimo ne corpus quidem in aliud corpus (*Phys. Gen.* §. 351. *et seqq.*).

41. R. *ad* 3. Mens humana non eo in sensu dicitur *essentialis* humani corporis *forma*, ut sit *entelechia* seu perfectio, quae ad ipsam ejusdem corporis naturam pertineat; quod falso docuit Dicaearchus; nam substantia est (§. 7.), et quidem simplicissima (§. 16.); bene vero quatenus tanquam *forma informans*, ut loquuntur Scholae, eidem corpori ita copulatur, ut sit plus quam forma mere *assistens*, quin tamen ex ipsis una eademque coalescat substantia, et utriusque attributa, proprietates, affectiones, vires in unum simul permisceantur.

42. Quare aliqua profecto inter utramque hanc substantiam intercedit *proportio*, non quidem in similitudine naturae, sed in eo tantum sita, quod anima in cogitando a corpore, et corpus in spontaneis suis motibus ab anima pendeat; quae proportio in Scholis dicitur *perfectivi ad perfectibile*, seu *actus et potentiae*: quaelibet enim forma a Scholasticis dici solet *actus* (*Ontol.* §. 157.), capacitas autem recipiendi aliquid, proindeque et formam, *potentia* (*ibid.* §. 149.). Neque porro, ut mutua haec dependentia seu proportio firma subsistat, necesse est, quod anima et corpus sint substantiae *homogeneae* seu ejusdem naturae, sicut proportio quantitatum postulat, quam per inscitiam nobis objiciebant Materialistae. Nonne corpora non ut existant modo, sed etiam ut operentur, a Deo dependent? nec tamen eamdem habent naturam, quam habet Deus.

43. Proloquium illud : *quidquid recipitur , ad modum recipientis recipitur* , si eo in sensu usurpetur , ut aliqua inter utrumque intercedere debeat proportio , lubentissime dabimus : ipsa namque animam inter et corpus habetur (§. 42.) . Sin autem eo in sensu , ut et quod recipit et quod recipitur , necessario esse debeant ejusdem naturae , negamus et pernegamus : non enim ut aqua in vase , sic anima in corpore recipitur .

44. Non est hujus loci definire , an mens humana in aliqua extensa nostri corporis parte , an potius in simplici ejusdem puncto propria substantia reperiatur qua de re nonnihil inferius (§. 314.) Tum quomodo in simplici hoc puncto existens recipere tot tamque varias ab externis sensibus possit impressiones , vel motiones in ipso corpore producere . Si dixerimus , haec nos latere, acquiescant oportet Materialistae , cum animae et corporis diversa natura manifestissima sit , aliunde vero negari non debeant , quae certa sunt , quia ignoramus , quae sunt occulta . Ceterum falso supponitur , quod nulla res esse possit alteri extensae rei praesens , quin simul eidem materialiter coextendatur . Exemplo sit Deus . Sicuti spiritualis substantia proprium existendi in loco modum habet , ut mox , dicemus. ita etiam proprium habet modum, quo rei extensae praesens sit ac fiat .

45. Duplex est existendi in loco modus ; *circumscriptivus* , ut ajunt Scholae , et *definitivus* . Priori modo aliquid in loco est , si locum ipsum ita occupet , ut impediat , quo minus altera substantia aeque impenetrabilis in loco illo eodem tempore sistatur . Ita in loco existunt corpora , eorumque prima principia , quorum tamen quodlibet , si simplex sit , non est extensum . Altero modo aliquid in loco est , si ipsum locum non ita occupet , ut resistat alteri substantiae etiam impenetrabili , ne in eodem prorsus loco simul repetiatur . Ita Deus Angeli , et mens humana ; quae quidem substantiae cum habeant diversam ab ea , quam habet corpus , naturam, et penetrabiles sint : diverso etiam modo in loco sive simplici sive extenso existunt , quin nempe physice extensae sint et supponantur .

46. ℟. *ad* 4. Hoc argumentum plura complectitur , quorum singula expendenda distincte sunt . Ad motum

quod

quod pertinet; juxta Mathematicos nihil est aliud, quam certa quaedam *continua et successiva loci mutatio*; juxta Physicos vero est *actus vis motricis*, ad quem velut ad sui caussam motus mathematicus refertur. Cum itaque corpus mathematice moveatur, si loca seu spatii partes successive mutat, quiescat autem, si in eodem prorsus loco consistit; hujus generis motus, et quies non sunt nisi extrinsecae ejusdem corporis ad spatium *relationes*, nec mirum proinde si simplices sunt ac plane indivisibiles. At cogitatio est principio, a quo procedit, intrinseca. Ad motum physicum quod spectat, quidquid de viribus mox dicemus, de ipso etiam, qui vis motricis effectus est, dictum intelligatur.

47. Vires activae, si quidem in corporibus sunt, vel spectantur quatenus composito ex pluribus corporeis substantiis seu principiis conveniunt, vel quatenus competunt uni tantum physice simplici ipsorum corporum principio. Si primum illud; non ita profecto sunt compositae, ut ex pluribus substantiis coalescant; non enim substantiae sunt, sed substantiarum affectiones seu modi; attamen si non ratione sui, saltem ratione unionis plurium principiorum in quibus insunt, compositae dici possunt ac divisibiles. Hinc celebre est apud Physicos theorema, nempe *gravitatem, inertiam et attractionem esse massae seu quantitati materiae proportionales*; quod etiam de impenetrabilitate, qua unumquodque corperum principium aeque donatum esse supponitur, dicendum est. Quod autem attinet ad motum physicum, omnes norunt, ipsum computari solere non modo in ratione velocitatis, sed etiam massae; tum corpus impellens tantum sui motus seu vis motricis deperdere, quantum impulsum corpus acquirit. Hinc porro quis non videat, gravitatem, inertiam, attractionem, impenetrabilitatem, motum, verbo, singulas compositi vires esse velut totidem plurium part aliumque, ut ajunt, virium aggregata, atque ideo compositas quodammodo ac divisibiles? At vero perceptio judicium, conscientia, volitio, aliaeque id genus actiones, aut cogitandi vis non sunt neque in se, neque ratione mentis divisibiles; aut plurium perceptionum, judiciorum, volitionum, similium aggregatum. Sin autem laudatae vires spectantur, quatenus unicuique singil-

gillatim sumpto corporum principio physice simplici competunt, simplicissimae quidem sunt, unde cogitatio non ratione simplicitatis eidem principio repugnat, in qua prorsus conveniunt, bene vero ob oppositas, secumque pugnantes cogitationis et materiae simplicis proprietates, ut pluries diximus, ac subinde rursus dicemus.

48. Ad reliqua quod pertinet; *si concede*, inquit P. Antoninus Valsecchi (*a*), *che la vegetazione, l' istinto, la vita de' corpi organici non sono esseri composti di parti: egli è però certissimo, che sono modi, o affezioni, o proprietà di esseri appunto di parti composti, quali sono i corpi organici: siccome pur egli è certo, che tutti poi in sostanza cotesti modi, o affezioni si riducono al moto. Ed in che sta la vegetazion d' una rosa, se non che nello sviluppo, e dilatazione, e ingrossamento delle sue parti? E che significa l' instinto d' un cane (per quanto spetta al corpo organico, o sia alla materia, di cui solamente voi qui potete parlare)? Non altro in vero, se non se un tenore costante, ed invariabile di operazioni e di moti a norma delle leggi stabilite dall' Autor della natura. Ed in che è riposta di' questi medesimi organici corpi la vita, se non nel moto equabile e perenne de' solidi, e fluidi, che li compongono? Or ella è cosa fuor d' ogni dubbio che il moto ha la sua quantità, le sue misure, le sue parti, e che in esse è divisibile, e si divide*.

49. ℟. *ad* 5. Licet prima corporum elementa essent simplicia; nihilo tamen minus convenire eidem non posset cogitatio; non quidem ratione simplicitatis, quae par in utrisque esse supponitur, bene vero ratione proprietatum et affectionum, quibus donantur; judicium enim et ratiocinatio cum impenetrabilitate pugnat (§. 18.) libertas vero cum inertia (§. 20.)

50. ℟. *ad* 6. Errarunt quammaxime, qui materiali Brutorum animae cogitationem adscripserunt. Ceterum nonnisi sensiones, ac sensibilium rerum appetitiones aversationesque, et quidem non liberas, sed plane necessarias eidem

(*a*) *Dei Fondamenti della Religione Vol.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 10.

eidem saltem plerique adjudicant. Hinc salva adhuc consistit spiritualis natura mentis humanae: haec enim libera est (§. 21.), unde pugnat cum materia inerti (§. 20.) et rerum abstractarum cognitiones sibi elicit, quae proinde a materia oriri nullo modo possunt (*Annot. ad* §. 23). (*).

51. ℟. *ad* 7. Localis motus est locum ipsum mutare. Si itaque dixeris, mentem humanam moveri quatenus locum, in quo definitivo modo existit (§. 45.) immutat, non certe repugnabimus; sed negamus simul, substantiam, quae hoc in sensu movetur, necessario esse debere corpoream et materialem: haec enim circumscriptivo modo in locis, quae mutat, existit, dum alio transfertur.

52. ℟. *ad* 8. Patrum testimoniis abutitur Voltaire. Nam S. Hilarius *corpoream substantiam* pro *vita* usurpat, vel innuit, quod anima nunquam sine ullo omnino corpore sit (**). (a) Ceterum mentem humanam esse substantiam spiritualem, diserte scribit, inquiens (b): *anima nihil in se habet corporale, nihil terrenum, nihil grave, nihil caducum*. Nyssenus dum asserit, quod *anima hominis est in semine, licet ibi non appareat* (c), ejusdem originem spectare videtur, quasi nempe propagetur ex traduce; sed tamen eamdem dicit *rem corporis expertem*

(a) *In Matth. cap.* 5. *n.* 8.

(b) *In Psal.* 129. *n.* 6.

(c) *Lib. de opificio hominis cap.* 29.

(*) *Si anima brutina eo sensu statuatur materialis, ut sit physice simplex, nullasque habeat intrinsecas vires corporeas, sed ejus* gravitas, attractio, repulsio, *similia non sint nisi* determinationes extrinsecae *ab uno Deo provenientes; non negaverim, vim intimam eliciendi meras sensationes, indeque sensationes ipsas eidem absolute posse convenire* (Theol. Nat. §. 643. et seqq.) *Haec tamen opinio toto coelo distat a Materialistarum, quos hoc loci refutamus, falsa opinione.*

(**) *Consulantur PP. Maurini* (Annot. in hunc ipsum Hilarii locum).

tem (*a*). Commentarium in Epist. 1. S. Petri genuinum non esse Clementis Alexandrini fetum, notum est Eruditis. Lactantius subobscure loquitur, et quasdam dicendi formas in ipso reprehendunt Doctores. Hoc idem dicas velim de Arnobio. Tertullianum ad Materialistas deflexisse quidam putant; sed Augustinus eumdem excusat, inquiens (*b*): *quia corpus esse animam credidit, non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit, ne nihil esset, si corpus non esset*. Lecto in II. Nicaena Synodo Jo: Thessalonicensis Episcopi loco, Tharasius Patriarcha, quid inde consequens esset, colligens, inquit: *ostendit Pater, quod et Angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt* (*), *et veluti homines apparuerunt multis. Sancta Synodus dixit: etiam, domine.* Quare id solum adprobasse videtur haec Synodus, quod ex Joannis Oratione collegit Tharasius, scilicet Angelos esse pingendos. Ceterum apud Veteres invaluit opinio, quod, uti de S. Hilario dicebamus, certa quadam materia, quam *quasi corpus* appellabant essetque animae *vehiculum*, anima ipsa perpetuo vestiatur, eaque utatur tanquam instrumento. De hac materia loquuti interdum ita sunt, ut animam, et Angelos asseruisse *corporeos* viderentur. Ubi ergo sunt *plures* illi ac *plures* Patres, qui, ut per summam audaciam scribit Voltaire, naturam corpoream humanae menti adscripserint?

53. ℟. *ad* 9. Mentem nostram esse substantiam spiritualem passim docent Sacrae Scripturae. Ecclesiastes, *revertatur*, ait (*c*), *pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. In manus tuas*, inquit Christus (*d*), *commendo spiritum meum*. Mittimus cetera, quae in novo Testamento hac super re leguntur. Quare anima *in sanguine* esse dicitur, quatenus pars haec nostri corporis ex praecipuis est, unde illa in corpore ipso et per-

(*a*) *ibid. cap.* 15.

(*b*) *De Genes. ad Lit. lib.* 10. *cap.* 25.

(*c*) *Cap.* 12. *v.* 7.

(*d*) Lucae 23. v. 46.

(*) *Quidam veteres, dum asserunt, animam* circumscribi *hoc vocabulo non innuebant, quod ipsi nunc intelligimus* (§. 45.), *bene vero ut universim significarent, animam non* *nul-*

veret, et vitales suas functiones exequatur. Lege etiam ugustinum (a).

CAPUT II.

De Mentis humanae immortalitate.

QUÆSTIO II.
Utrum Mens humana sit immortalis

54. *Def. Immortale* illud dicitur, quod existit semper, emperque vivit.

55. *Schol.* 1. Vere proprieque *vivens* dici a Philosophis olet, quod propriam habet, intrinsecam, et immanentem agendi intra se virtutem, eaque intra sese reapse agit, seu cujus non modo vis, sed etiam actio immanentes sunt, (*Ontol.*§.253.) Hinc nonnisi improprie *viva* dicitur aqua, si fluit; flamma, si ardet, atque his similia (*).

56. *Schol.* 2. Duplicem vitam distinguunt de Schola Philosophi, nempe *in actu*, ut ajunt, *primo, et in actu secundo*; quarum prior in intrinseca virtute immanenter agendi; posterior vero in actuali ipsa immanente actione costituta esse licitur. Nonnisi hanc postremam admittunt Cartesius, Genuensis, Storchenau, aliique plures praesertim vero recentiores. De hac re nonnihil postea (§. 121.).

57. *Schol.* 3. Triplex immortalitatis species assignari et potest et debet. Aliud est *essentia* immortale, quod nempe ta existit semper semperque vivit, ut existentia sua et vita pri-

---

(a) *Lib.* 3. *contra advers. leg. et Prophet. cap.* 6. *nullibi, sed in loco aliquo esse uti constat ex Auctore Libri* le Spiritu, et anima, qui circumscriptionem *animae a corporis* circumscriptione *manifeste distinguit*; *ait enim*: ideo intellectuales naturas corporeas esse diximus, quia loco circumscribuntur, sicuti et anima humana; non habet tamen corporalem circumscriptionem, quoniam corporalis quantitatis expers est.

(*) *Qui plantarum nutritionem ab una tantum externi principii, seu caussae vi et actione provenire opinantur, negant, ipsas vera proprieque dicta vita donari.*

privari nullo modo et a nulla caussa possit, sed omnino repugnat. Talis est Deus, *qui*, ut inquit Apostolus de hac immortalitatis specie loquens (*a*), *solus habet imortalitatem*, Aliud est *natura* immortale, quod nimirum neque a seipso, neque ab ulla alia creata vi, sed a solo Deo potest existentia sua et vita spoliari. Aliud demum est *gratia* seu *praeter naturam* immortale, quod videlicet nonnisi gratuito Conditoris beneficio praeter naturalem rerum ordinem perpetuo viveret. Ita profecto immortale fuisset humanum corpus, si Adam non peccasset. De una secunda immortalitatis specie sermo hoc loci est.

58. *Corol.* Cum suapte *natura* immortale possit a Deo existentia sua et vita privari (§. 57.); ut mens humana reapse sit ac dicatur immortalis, tria requiruntur, 1. nempe quod natura sua semper extitura sit: 2. quod semper sit victura: ac demum 3. quod Deus ipsam velit aeternum conservare.

59. *Animad.* Postrema haec conditio superflua videretur, si contra unos rigidiores Materialistas Atheosque agenda res praesens foret: cum enim ipsi Dei existentiam negent, a quo uno substantiae redigi in nihilum possunt; satius esset demonstrasse, quod mens humana, quae substantia est (§. 7.), semper extitura sit qualis, si seipsa spectetur, nunc existit, ac semper sit victura. Cum tamen quidam ex Adversariis Deum fateantur ac putent, ipsum non modo posse, sed velle quoque humanas mentes in nihilum tandem redigere; operae pretium est, ut chatolica de reali earumdem immortalitate sententia hac etiam ex parte firmetur.

Sensus quaestionis.

60. Quaerimus, utrum mens humana reapse sit immortalis, hoc est, non modo suapte natura semper extitura sit semperque victura, sed etiam velit Deus ipsam aeternum conservare (§. 58.)?

Philosophorum doctrina.

61. Immortalitatem humanae mentis negabant in primis Leucippus, Democritus, praesertim vero Epicurus, qui Discipulos suos, ut voluptatibus liberius fruerentur, excitabat di-

(*a*) 1. *ad Timoth. cap.* 6. *v.* 16.

dicens; *edamus et bibamus, post mortem nulla voluptas*; qui autem timebant mortem, his verbis solabatur; *mors nihil ad nos, quoniam cum nos sumus, mors non est; cum vero mors adest, nos jam non sumus* (*a*). Fere idem scribit Lucretius Carus (*b*):

Nil igitur mors est; ad nos neque pertinet hilum.

Noverant enim, omnem adimi obsistendi minis facultatem (*), ac vitam voluptatibus deditam ab imo turbari, si mentis humanae immortalitas credatur (**). Pessimae hujus farinae magistros sequuti sunt Thomas Hobbesius, Toland, Cowarde Helvetius, Lametrie, Mirabaud. Freret, Materialistae, Increduli vulgo *gli spiriti forti*, *et* Atheistae. Quidam ex Stoicorum familia, qui, referente Plutarcho (*c*), indoctorum animos, cum imbecilliores sint, citius, soluto corpore, asserebant concidere: doctorum autem, cum sint firmiores, paullo diutius esse duraturos, illud demum fatebantur, ipsos esse reapse mortales. De Aristotelis hac super re sententia disputant Eruditi. Contra hos omnes totum, quantum est, pugnat humanum genus, Egyptii (*d*), Chaldaei (*e*), Indi eorumque Brachmanes (*f*), Druidae in Gallia (*g*), aliæque vetustissimae (ut etiamnum Sinensis, Japonensis, Telaponensis in Regno Siamensi, Aracanensis, Americana, Cochinchensis,

(*a*) *Laertius in vita Epicuri.* (*b*) *Lib.* 3. *v.* 843.
(*c*) *Lib.* 4. *cap.* 7.
(*d*) *Diodorus Bibl. hist. lib.* 1.
(*e*) *Stanlejus Hist. phil. tom.* 2.
(*f*) *Strabo Geograph. lib.* 15.
(*g*) *Julius Caesar de bello Gall. lib.* 6.

(*) Et merito: nam si certum finem esse viderent
Ærumnarum homines; aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obsistere vatum:
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;
Æternas qnoniam poenas in morte timendum.

Inquit Lucretius (lib. 1, v. 108.)

(**) Et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

Idem Lucretius (lib. 3, v. 37.).

thensis, ceterae), barbarae licet et efferatae Nationes. Hinc sepulcrorum cura, Inferi, Elysii Campi, mos apotheoseos, aliaque id genus plura, quae quamvis fabulis conspurcata, attamen persuasionem de animorum immortalitate penes omnes Populos viguisse manifeste ostendunt, ita ut jure merito dixerit Tullius (a): *permanere animos arbitramur consensu nationum omnium*; et Macrobius asserere non dubitaverit (b), *obtinuisse non minus de incorporalitate animae, quam de ejus immortalitate sententiam*. Quid vero commemorem nobilissimos antiquitatis Philosophos, Thaletem, Pythagoram, Socratem, Tullium, Senecam, Platonem, quorum postremus, teste Augustino (c), validis adeo firmissimisque momentis hanc ipsam immortalitatem asseruit, quod cum ejus Libros legisset Ambraciota Cleombrotus, is de muro se praecipitem dederit, ut meliorem vitam ea, qua fruebatur, statim consequeretur? Ceterum humanae mentis immortalitas est etiam catholicae Religionis dogma in Concilio Lateranensi V. sub Leone X. definitum.

62. *Animad.* Non omnes immortalitatis animorum adsertores ac vindices inter se conveniunt circa vim ac pondus argumentorum, quibus ostendi ac Philosophis solet. Puffendorf (d), Petrus Bayle (e), Daniel Huetius, Nicolaus Perottus, Jo: Lokius, aliique putant, sola divina Revelatione nobis constare, quod Deus velit humanas mentes aeternum conservare; quin vel ipse Cardinalis Cajetanus scribit (f), *se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamen*. Contrarium alibi docuerat (g). Quidam alii naturalibus hac super re argumentis nonnisi persuadendi vim concedunt; *naturae rationes, quas in medium protulit S. Tomas, Henricus et Scotus probabiliter suadere ajunt, non necessario demonstrare*, inquit Melchior Canus (h). Hanc po-

(a) *Tuscul. qq. lib.* 1. *cap.* 16.
(b) *In Somn. Scip. lib.* 1. *cap.* 14.
(c) *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 22.
(d) *De officio hominis et civis Praefat.*
(e) *Art.* Pomponatius.
(f) *In cap.* 9. *Epist. ad Rom.*
(g) *In prim. part.*, *et in* 3. *lib. de Anima.*
(h) *De Locis theol. lib.* 12. *cap.* 14.

postremam inter Catholicos litem dirimere nos non audemus: neque enim tanti sumus; sed an momenta quae in medium proferemus, persuadeant tantum, an etiam demonstrationis vim habeant, judicent aequi bonique rerum aestimatores.

LEMMA I.

Mens humana, etiam a corpore separata, natura sua semper est extitura.

63. *Pr.* Mens humana substantia est (§. 7.), et quidem a corpore distincta prorsus atque diversa (*quaest. praecedent.*). Itaque existere per se, seu independenter a corpore, cui copulata nunc est, omnino potest (*Ontol.* §. 158.). Sed est etiam simplex (§. 16.); igitur intrinsecus seu suapte natura incorruptibilis est, dividi nempe ac resolvi in partes nequit: *in animi autem cognitione*, inquit Tullius(*f*), *dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, et secretio, ac direptus earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur*. Quare anima perire nisi per *annihilationem* nequit: si enim perit, vel aliquid sui adhuc remanet, vel plane nihil. Non primum: cum enim simplicissima sit; nullas omnino habet partes, quarum aliqua, pereuntibus ceteris, adhuc subsistat. Sin porro alterum; ergo in nihilum tum sui cum subjecti redigitur. *In nihilum*, inquam, *sui* nam tota periret: *in nihilum* autem *subjecti*: cum enim sit substantia; sicut nullo opus habet subjecto, ut existat, ita etiam, postquam tota perierit, perseverare in subjecto nequaquam potest; quae quidem substantiae destructio *annihilatio* in Scholis adpellatur (*Ontol.* §. 290.). Jam vero nulla caussa secunda sicut creare, ita annihilare rem aliquam potest (*ibid.* §. 305., 307.): quippe ad id infinita vis requiritur in creaturis. Itaque mens humana neque ab alia creata vi, neque a seipsa in nihilum potest

---

(*f*) *Lib.* 1. *qq. Tuscul. cap.* 29.

test redigi, seu perire (*); atque ideo, si ejus indoles spectetur, etiam separata a corpore semper est extitura. Q. E. P.

LEMMA II.

Mens humana, etiam a corpore separata, natura sua est semper victura.

64. *Pr.* Mens humana, cum separata a corpore semper si extitura (§. 63.); suas etiam internas facultates et vires quibus donata est, et inter quas eminet vis cogitandi, quae vel ipsius mentis essentiam constituit, vel saltem certo certius ab ejusdem essentia necessario dimanat, perpetuo servabit (**). Ergo etiam a corpore separata poterit cogitare. Quid vero si cogitabit reipsa? Nam in percipiendo est caussa necessaria, adeo ut, positis omnibus ad percipiendum requisitis, non possit non percipere. Quod autem ad percipiendum requiritur, est, ut objectum aliquod praesens eidem sit, circa quod ipsa versetur. At si nihil aliud, saltem ipsa sibi est semper praesens: nihil enim intimius ipsi est, quam ipsa sibi.

(*) *Hoc ipsum Athei omnes, et Epicurei fatentur, penes quos vulgatum est illud Lucretii, nempe, ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti: quod quidem verissimum est, si Deus, ejusque omnipotens efficacia non excludatur.*

(**) *Nam cum vis isthaec ad mentis essentiam pertineat: mens ipsa nequit eadem spoliari, quin simul essentia sua privetur, cum qua vis illa est necessario connexa. Hoc autem praestare non potest ulla externa vis creata, ut facile quisque sibi persuaserit. Sed neque vis, quae in ipsa anima sit: quippe omnes ejusdem vires, si quidem plures sunt, sunt etiam secum ipsis velut colligatae, ac nulla inter easdem viget pugna, oppositio nulla. Hinc rursus liquet, mentem perire ex seipsa non posse; cum enim ejus vires neque ab animae substantia destruatur, cum, si seipsa abstracte spectetur, plane nihil valeat; neque sese invicem destruere possint; semper perseverarent. At perseverare nequeunt, nisi et anima ipsa, quae est illarum subjectum, quo indigent ut existant, una simul perseveret.*

sibi. Itaque saltem seipsam cognoscet mens nostra, et quidem expeditius perfectiusque, quo minus eo in statu ab objectis externis eidem per sensus repraesentati a suimetipsius contemplatione distraheretur. Hinc poterit quoque judicare, ratiocinari, velle et amare, quae ceu bona sibi exhibet, quae autem ceu mala, nolle et aversari. Cum igitur tum cogitandi facultas, tum cogitatio ipsa sint menti immanentes et vita in immanente tum facultate agendi, tum actione ipsa sit posita (§. 55.); manifeste elucet, quod mens humana, etiam a corpore separata, natura sua &c. *Q. E. P.*

LEMMA III.

Deus vult humanam mentem aeternum conservare.

65. *Pr.* Deus est sapientissimus; ergo finem aliquem in peracta ab ipso rerum molitione sibi praefixit: nam omne agens rationale, ut commune ac verissimum fert proloquium, agit propter finem. Finem hunc consequi vult Deus: secus enim creaturas non condidisset, neque eisdem providerct, cum qui sapienter agit, si non vult finem, ne media quidem velit, quae ad finem illum ducunt: nam secus quidpiam plane frustra moliretur. Porro ut Deus finem, quem sibi in rerum molitione praefixit, consequatur, necesse est, quod res ipsas creatas ad suos peculiares fines, ad quos aptae sunt ac velut natura conformatae, omnino dirigat; in primis enim ipsae sunt media, quibus ad finis sui consequutionem utitur idem Deus. Tum nonne plane incassum Deus talem naturam indidisset creaturis, si ipsae ad peculiares fines suos suapte quidem natura tenderent, sed tamen ad ipsos non dirigerentur? Quare illud demum videamus, quinam sit peculiaris finis, ad quem mens humana apta natura sua est et conformata. Nonne immortalitas? quippe cum suapte natura semper extitura fit (§. 63.), semperque victura (§. 64.); natura quoque sua est immortalis (§. 57.). Accedit eodem, quod innato velut pondere ad beatitudinem, ad statum nempe perfectae voluptatis et quietis, omnisque doloris ac metus expertem adeo fertur, ut non solum non velit esse misera, sed ne velle quidem possit, et quidquid agit, eo semper spectet, ut neque doleat, neque perturbetur, sed omnino beata sit. Hujus rei totum ego humanum genus, quin et Adver-

sarios ipsos testes adpello. At vero omnipotens hoc et naturae nostrae a Deo inditum perfectae beatitudinis desiderium satiari per terrena haec bona, quot quot demum et quantacumque sint, non potest, uti jugi experientia omniumque consensione edocemur. Quare aliam vitam et bona alia efflagitat, ut plene satietur. Haec autem alterius vitae bona nequeunt beatitudinem reddere undequaque perfectam, nisi vita ipsa, ejusque bonorum fruitio perpetua sit atque aeterna. Praeclare ad rem nostram Tullius: *si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest* (*a*). Neque vero putandum est, Deum velle homines fallaci eaque firmissima perpetuitatis bonorum spe in vita altera detinere, ne, dum ipsis fruuntur, ullo perturbentur amittendae jam adeptae felicitatis timore, atque angantur. Quis enim sanus hoc de Deo, omnis veritatis principio ac fonte in animum sibi induxerit? Quare peculiaris finis, ad quem natura sua apta est mens humana et conformata, est immortalitas. Cum itaque velit Deus, quod mens finem illum seu immortalitatem consequatur, et aliunde consequi camdem non possit, nisi Deus ipsam mentem perpetuo conservet, ut per se liquet; manifestum videtur, quod Deus velit humanam mentem aeternum conservare *Q. E. P.*

PROPOSITIO.

Mens humana est reapse immortalis.

66. *Pr.* Ut mens humana dicatur ac reapse sit immortalis, requiritur 1. quod natura sua semper extitura sit; 2. quod semper sit victura; ac demum 3. quod Deus ipsam velit aeternum conservare (§. 58.); atqui mens humana, etiam a corpore separata, natura sua semper extitura est (§. 93.), semperque victura (§. 64.), eamque aeternum conservare vult

(*a*) *Lib.* 2. *de Fin. cap.* 27.

vult Deus (§. 65.): est igitur reapse immortalis. *Q. E. P.* (*).
Adver-

(*) *Cum mentis nostrae immortalitas, etiam in Religionis negocio maximi momenti sit; lubeat, ipsam iterum iterumque, et quidem validissime confirmare.* 1. *Omnium hominum et Nationum in re aliqua consensio quanti aestimanda sit, ex Seneca edocemur;* cum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium (Epist. 117.). *Majorem vim eidem adscribit Cicero: ait enim:* omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est (qq. tuscul. lib. 1. cap. 13.); *nam antiquitas*, quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat (ibid. cap. 12.). *Jam vero Nationes omnes, omnesque homines, si quosdam eosque perditos scelestissimosque exceperis, in re, de qua agimus, consensisse, ex opinionum historia compertissimum est* (§. 61.).

2. *Sublata animorum immortalitate, virtus in vitium, et vitium in virtutem non semel degeneraret. In hac enim hypothesi praesens vita esset summum bonum: ergo mors, et quidquid vitae, ejusque voluptuosae felicitati nocet, esset summum malum. At virtus utrique nocet quandoque: ergo summo bono adversaretur. Lex porro naturae est, ut homo ad summum bonum tendat: qui ergo virtuti studet, hanc naturae legem violaret. Atqui legem naturae violare est vitium: ergo virtus in vitium non semel converteretur. Sed etiam vitium in virtutem, cum illud praesentem vitam ejusque felicitatem, quae essent summum bonum, aliquando conservet et foveat. At summum bonum conservare et fovere sicuti lex naturae est, ita etiam est ac esse debet virtus. Hoc argumentum eleganter versat Lactantius* (lib. 7. Institut. cap. 9.) *Addimus, hinc sequi absurdum omnino maximum, scilicet Deum, qui virtutum exercitium imperat, et vitium damnat, imperare vitium, et virtutem damnare; quod quidem Dei sanctitatem susque deque everteret. Hoc idem dicas velim de humanis legibus, quae in illud ipsum omnes conspirant.*

3. Si

67. *Ob.* 1. Perire debet cum corpore, quod cum corpore nascitur; atqui mens humana nascitur cum corpore: ergo perire

---

3. Si nihil est post hanc vitam, ubinam pro merito quisque recipiet? ... Multi praeter meritum, ut ipsi jam confessi sunt, bonis honoribusque fruuntur in hac vita; alii vero, qui in justitia vivunt, cruciantur; *ita argumentatur S. Jo: Crysostomus* (Orat. 4. de Provid.) *Scilicet experientia omnibus notissima compertum est, quosdam impios scelestosque homines in praesenti hac vita bonis frui cumulatissime, ac prospera habere, dum alii pii, justi, ac virtutibus daditi miseri sunt, aerumnosi, vexati, afflicti, contempti, omnique fere malorum genere excruciati; adeo ut miratus sit Claudianus* (in Rufinum lib. 1. v. 13.),

. . . . Laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios . . . .

Rebus autem ita se habentibus, ubinam, quaeso; esset summa Dei justitia, si nullus post mortem superest status, in quo malis hominum meritis poena, meritis autem bonis praemium rependatur?

4. *Dei providentia expostulat, ut in necessariis ad vitam recte instituendam, tuendamque societatis ac status publici felicitatem non deficiat. At persuasionem de animorum immortalitate esse ad id operis necessarium nemo negabit, qui animadvertat, quod ipsa sublata, ad scelera quaeque amplissima via sterneretur. Id agnovit Lucretius ipse asserens, quod in sua hypothesi adesset ratio Religionibus, ac vatum minis obsistendi, hoc est, praestandi ea etiam, quae Religioni ejusque praeceptis contraria sunt: uti observatum quoque fuit a S. Prudentio* (lib. 2. contra Symmachum).

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse mihi post funera quidquam;
Quis mihi regnator coeli, quis conditor orbis,
Quis Deus, aut quae jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus,
Incestabo toros, sacros calcabo pudores.

Reapse

rire cum eodem debet, proindeque falsa propositio. Ita olim argumentabatur Lucretrius Carus Libro 3. (*).

68.

Reapse perditissimis fuisse moribus, qui animum una cum corpore interire sibi persuaserunt, et memoriqe proditum est et Auctor Libri Sapientiae *expressit* (cap. 2.). *Constat itaque asserta communis de altera vita persuasionis necessitas. An porro dixeris, persuasionem illam non veram esse, sed parum putum naturae errorem? Quid? ergo necessarius est universalis error, ut humanum genus rite quoad mores instituatur? ergo status publicus errore gubernandus est ac tuendus? ergo Deus, qui hominibus pro virili portione rationem concessit, ut errores vitarent, errore ipsos regi oportere constituit? Quis haec ferat? quis sapientissimam, verissimam, rectissimam providentiam in Deo agnoverit? quasi nescierit, aut non potuerit hominum mores ad virtutem felicitatemque componere, nisi fallaci eaque communi persuasione eosdem in officiis suis contineret.*

(*) Praeterea gigni pariter cum corpore, et una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
. . . .
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam . . . .
Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
Suscipere immaneis morbos, durumque dolorem;
Sic animum curas acreis luctumque, metumque.
Quare participem lethi quoque convenit esse.
. . . .
Et quoniam mentem sanari, corpus ut aegrum,
Cernimus, et flecti medicina posse videmus;
Id quoque praesagit mortalem vivere mentem.

Haec posteriora Lucretii argumenta jam praefocavimus (Annot. ad §. 31.); *scilicet non est ipsa animae substantia, quae mutetur, sed tantum ejusdem operationes, ob illas commercii leges, quibus subjecta est:*

Donec enim premitur caeco mens carcere clausa,
Carceris has leges, aeternaque foedera servat;
Et dolet et gaudet, prout hoc compactile corpus
Suavia titillant nonnunqam, aut aspera acdunt.

68. ℟. *D. maj.*, perire debet cum corpore, quod cum corpore *eodem modo* nascitur, *C.* quod *diverso modo* nascitur cum corpore, *N. maj.*; et *D. min.*, mens humana *eodem modo* nascitur cum corpore, *N. diverso modo C. min.*, et *N. Cons.* Una cum corpore nasci animam, eo in sensu fatemur, quatenus in corpore, dum ipsum est ad vitales functiones peragendas idoneum, procreatur. Ceterum per *generationem* oritur humanum corpus, anima vero per *creationem* illud ex partibus constat, unde per earumdem dissolutionem potest interire; haec autem est substantia simplicissima, quae proinde interire non potest, sed perpetuo, nisi a Deo annihiletur, etiam post corporis solutionem perseverabit. (§. 63.)

69. *Inst.* Mens humana in sui productione dependet a corpore; sed quod in sui productione ab alio dependet, hoc pereunte, et illud perire debet: ergo licet diverso modo ac corpus nascatur, debet tamen una cum corpore perire.

70. ℟. *D. maj.*, mens &c.; dependet a corpore tamquam *ab occasione*, *C.*, tamquam *a subjecto*, in quo vel per quod existat, *N. maj.*; et *D. min.*, quod in sui productione ab alio tanquam *a subjecto*, in quo vel per quod existat, dependet, hoc pereunte &c., *C.*, quod in sui productione ab alio nonnisi tanquam *ab occasione* dependet hoc &c. *N. min.*, et *Cons.* Cum anima sit Substantia, et quidem a corpore distincta prorsus atque diversa; non ita in sui productione pendet ab eodem corpore, ut in ipso tanquam in subjecto, instar modi, sit, vel ab ipso producatur, vel demum per ipsum existat; sed tantum veluti *ab occasione*, quatenus a Deo non creatur, nisi organicum corpus, cui copulanda est, adeo perfectum sit et evolutum, ut ad vitales peragendas functiones idoneum sit et censeatur. Sicuti ergo per seipsam subsistit in corpore, ita etiam poterit, corpore pereunte, per sese subsistere.

71. *Inst.* Ita producitur anima, ut sit humani corporis essentialis forma; sed forma ita in sui productione pendet ab eo, cujus est forma, ut in ipso vel per ipsum existat: ergo &c.

72. ℟. *D. maj.*, ita &c.; ut sit &c., ac simul substantia, *C.*, secus, *N. maj.* et *D. min.*, forma; quae substantia non sit, ita in sui &c., ut &c., *C.*, forma, quae sit substantia, ita &c. ut &c. *N. min.* et *Cons.* Formae, quae non substantiae, sed modi sunt uti colores, cum existere per se non possint (*Ontol.* §. 161.); ita

ita opus habent subjectis, quorum sunt formae, ut in ipsis et per ipsa existant. At mens nostra est substantia (§. 7.), quae proinde subsistere per se se potest (*Ontol.* §. 158.).

73 *Inst.* Mens humana, licet substantia, cum tamen sit essentialis humani corporis forma, est quoque essentialis pars hominis; ergo essentialem habet cum eodem corpore connexionem. Atqui ubi essentialis connexio intercedit, unum sine altero nequit existere. Puta cum Deum inter et creaturas necessaria intercedat connexio; hae profecto existere sine illo non possunt: ergo &c.

74. ℞. *C. A. D. consequens*, et connexio isthaec est in ordine *ad unionem*, ita nempe ut anima postulet cum suo corpore uniri, *C.*, est in ordine *ad existentiam*, ita nimirum ut anima sine suo corpore non possit existere, *N. Cons.* Et *D. subs.*, ubi essentialis connexio in ordine *ad existentiam* intercedit, unum &c., *C.* ubi essentialis connexio in ordine *ad unionem* tantum intercedit, unum &c., *N. subs. Cons.*, *et paritatem*. Eo consilio mentem humanam et humanum corpus Deus procreavit „ut binae hae substantiae ita simul copularentur, quod unus ac perfectus homo ex ipsis emergeret. Quare essentialis inter easdem connexio *unionem* spectat, non *existentiam*, adeo ut sicut corpus sine anima, ita et anima sine corpore existere certo certius possit. Hinc plane nulla est Deum inter et creaturas instituta paritas; hae namque ab illo in ordine *ad existentiam* pendent, ut manifestum per se est.

75. *Inst.* Ex quo anima cum suo corpore uniri postulet, sequitur 1., quod a corpore separata in statu sit plane violento, sed *nullum violentum*, ut dici solet, *durabile* 2. quod ipsa propter corpus, cujus esset essentialis forma, seu ut corpus informaret, condita a Deo fuerit; atqui cessante fine, illud quoque cesset necesse est, quod in finis gratiam fit; ergo essentialis connexio, quam cum corpore habet anima: est etiam in ordine ad existentiam.

76. ℞. *ad* 1. Quamvis anima a corpore separata quamdam habitudinem, relationem, inclinationemque retineat ad idem corpus, cui antea copulata fuerat, et cum quo, juxta statutas a Deo leges, perfectum hominem constitueret; non tamen propterea adeo violentus dici debet hic separationis status, ut anima existere in eodem non possit. Ipsa enim perire nequit nisi per *annihilationem* (§. 63.); aliunde vero nulla omnino

no est vis creata, violentia nulla, quae substantias, etiamsi corporeae sint, in nihilum redigere valeat (*Ontol.* §. 307.).

77. ℟. *ad* 2. Non eo uno fine, nempe ut corpus regerat ac moderaretur, animam, scilicet nobilissimum spiritum Deus procreavit, ornavitque praestantissimis dotibus; sed potissimum ut Deum ipsum coleret ac diligeret in hac mortali vita, atque in altera perfectam aeternamque felicitatem pro meritis assequeretur. Qui aliter putant, ipsam aequo nimium deprimunt, paremque cum belluarum anima non sine maxima tanti operis injuria, ac stultitia constituunt.

78. *Ob.* 2. Mens humana in cogitando a corpore dependet: ergo ab eodem soluta non cogitabit, nec vivet proinde, seu non erit immortalis: (*a*)

79. ℟. *D. A.* mens humana in cogitando a corpore *essentialiter* dependet, *N.*, *occasionaliter subd.*, pro hoc unionis statu, *C.*, pro statu separationis *N. A.*, et *utramque Cons.* Mens nostra suas sibique proprias habet vires et facultates, quae cum intrinsecae eidem sint, atque ad ejus naturam pertineant, a corpore nullo prorsus modo dependent. Ut autem reapse exerceantur, satis plane est ac super, si praesens eidem sit aut fiat objectum aliquod, circa quod in cogitando versetur (§. 64.). At saltem ipsa sibi est semper praesens (*ibid.*). Quare non *essentialiter* a corpore ejusque sensibus pendet, ut cogitet, quasi ab ipsis separata operari non amplius possit, nec operetur; sed tantum *occassionaliter*; et quidem pro hoc uno unionis statu; ea enim constituta fuit a naturae Auctore commercii lex, ut sicut corpus in spontaneis suis motibus ab anima, ita etiam anima in suis cogitationibus a corpore penderet, quoad binae hae substantiae adeo copulatae sibi invicem sunt, ut totum perfectumque hominem simul constituant.

80. *Inst.* Quo magis deficiunt phantasmata, eo etiam minus cogitat mens, illisque, uti in lethargo, prorsus deficientibus haec penitus non cogitat. Nam jugi intimaque constat experientia, quod licet anima copulata sit, vel saltem immediate praesens, aliquibus cerebri partibus; has tamen partes, cum nullum phantasma easdem exibeat, ne minimum quidem dignoscit.

(*a*) *Oeuvres de Freret tom. 4. Lettere 5., et Mirabaud Système de la nat. part. 1. chap. 6.*

scit. Jam vero, soluto corpore, nulla amplius erunt phantasmata. Ergo anima adeo essentialiter a corpore pendet, ut cogitet, quod ab ipso separata cogitare non amplius possit. Accedit eodem, quod ipsa in statu separationis nullum omnino objectum habet, circa quod in cogitando versetur: non proprium corpus: ab ipso enim esset penitus soluta: non corpora alia; haec enim nonnisi per corporis nostri sensus menti exhibentur: non demum seipsam; notum quippe est, ipsam, quamvis in hoc unionis statu sibi praesens sit, non tamen seipsam immediate percipere.

81. R. Si de rebus sensibilibus, quas in praesenti unionis statu percipit mens nostra, sermo sit, ingenue fatemur, ipsam opus habere phantasmatibus, minuique sensiones, prout phantasmata; quae media ad id sunt, minuuntur: nam

Nec sola pugnat miles virtute sine armis,
Nec radios sine peniculo depingit Apelles.

At negamus, hoc ipsum de insensibilibus rebus dici universim debere: fit enim persaepe, ut qui rebus mere intelligibilibus delectantur, vel naturales quasdam patiuntur extases, prount a phantasmatibus impressionibusque sensuum alieni magis sunt, eo etiam clarius, profundius, acutiusque res illas contemplentur; uti de Socrate refert Gellius, qui a Solis ortu ad alterum orientem solem in rerum naturalium disquirendis causis immotus persistebat. Praeclare ad rem nostram Tullius (a).

82. Nec mirum, si anima partes cerebri sibi praesentes immediate non percipiat: quamdiu enim est cum corpore copulata, vel in aliquod phantasma incurrit, vel in rerum intelligibilium contemplatione defixa est. Tum si partes illas immediate perciperet; in ipsarum cognitione perpetuo versaretur, cum ipsae intimius praesentes eidem sint, quam aliae quaevis res externae, contra ac praescripsit summus Artifex Deus, qui illas cerebri partes ita conformavit, aptavitque, ut ipsis tanquam mediis ad aliarum externarum rerum cognitionem mens nostra uteretur. At vero soluta a corpore, atque ab his commercii legibus liberata, poterit alia via eas ipsas res sibi repraesentare.

83. Si

(a) *Lib. 1. qq. tuscul. cap. 31.*

83. Si enim nunc temporis potest alia corpora proprii corporis sensuumque subsidio percipere, cur non, quum a vinculis compedibusque erit soluta? tunc enim poterit, quod nequit modo, ceteris corporibus immediate praesens fieri; quae quidem praesentia immediata in systemate *caussarum ocasionalium* esset *occasio*, cur ita mentem nostram afficiat Deus, ut ab ista eædem ipsae res corporeæ percipiantur. Tum ipsa sibi erit praesens. Nec refert, quod in hoc unionis statu seipsam immediate non contempletur. Divino sapientissimoque id factum est consilio, ne scilicet seipsam perpetuo contemplando, res alias praesertim corporeas, quarum cognitionem postulat praesens unionis status, omnino negligeret. Quare ipsi a corpore separatae praesto erunt objecta, circa quae in cogitando versetur.

84. *Ob*. 3. Praecipuum argumentum, quo ostendi solet, Deum velle humanas mentes aeternum conservare, ex eo petitur, quod ipsas velit in aeternum beatas; sed Deum velle mentes humanas in aeternum beatas. est plane falsum: ergo etc. *P. min.* Si mentes humanas in aeternum beatas vellet Deus; jam nulla omnino in vita altera esset suppliciis mancipata; atqui, vobis ipsis fatentibus, quaedam mentes humanae in altera vita suppliciis mancipatae sunt: ergo etc.

85. ℟. *D. maj.*, si etc., jam nulla etc., quoties nulla esset mens, quae per propria mala merita pro separationis statu, supplicia sibi compararet, *C.*, secus, *N. maj*; *et D. min.*, nobis ipsis fatentibus, quaedam etc. ob propria mala merita, *C.*, sola Dei voluntate, *N. min.*, *et Cons.* Deus, qui est summe bonus, non eo sane fine creaturas rationales condidit, ut ipsae excruciarentur calamitatibus miseriisque, bene vero ut perfectam beatitudinem plenamque in vita altera felicitatem obtineret. Nam praeterquamquod Deus in Sacris Scripturis exhibetur tanqnam qui velit, omnes omnino homines salvos fieri; ex ipsa etiam naturali ratione satis abunde illud ipsum constat: cur enim Deum cognoscunt; legem, juxta quam actiones suas moderentur, in ipsis cordibus conscriptam ferunt; libertate donantur; legum observatoribus praemia, violatoribus supplicia destinata esse norunt; inditum perfectae felicitatis desiderium in semetipsis sentiunt, aliaque id genus sexcenta experiuntur, nisi ut intelligant, si sapiunt, Deum ipsos velle in aeternum beatos? quae quidem Dei voluntas a Scholae Theologis vocabulo satis apto *ante-*

cedens adpellatur. Cum tamen ipsi homines leges non raro violent, naturae ordinem evertant, libertate pessime abutantur, veteris voluptatibus indulgeant, atque atrociora quaeque per summam audaciam patrent facinora; idcirco Deus, qui non minus justus quam bonus est, hos impios suppliciis plectit, neque ipsos vult in aeternum beatos; quae altera ejusdem Dei voluntas dicitur *consequens*. Deus itaque, quantum ex se est, vellet omnibus omnino homnibus perfectam felicitatem impertire; sed quo minus omnes eamdem re ipsa consequantur, obstant tum mala illorum merita, cum summa ipsius Dei justitia.

86. *Inst.* Mala hominum merita, Deique justitia obstant, ex dictis, quo minus omnes omnino mentes humanae perfectam beatitudinem assequantur; atqui obstant etiam, quo minus a Deo aeternum conserventur: ergo &c. *P. min.* Decretum de conservatione est consenctarium decreti de beatitudine, nempe ea de caussa statuisset Deus, humanas mentes aeternum conservare, ut ipsae essent in aeternum beatae ergo si mala hominum merita, Deique justitia obstant, quo minus omnes &c.; obstant etiam, quo minus a Deo &c.

87. ℞. *D. A.*, decretum de conservatione est consectarium *antecedentis* decreti de beatitudine *C.*, secus *N. A.*, et *Cons.* Antecedens Dei voluntas, qua omnes omnino homines vult beatos, firma consistit, etiamsi voluntate consequente non illos re ipsa beatos velit, qui supplicia culpis suis sibi promerentur; est enim *absoluta*, quae proinde a nulla pendet conditione, ex qua vim suam desumat. Jam vero decretum de conservatione est hujus *antecedentis et absolutae* voluntatis consectarium; nempe Deus ea de caussa perpetuo conservare mentes humanas constituit, ut ipsae aeternam felicitatem consequerentur. Ergo etiam decretum illud *absolutum* est et *antecedens* quod mala hominum merita, adeo ut haec nullam vim habeant, ut illud decretum frustretur, sed tantum ut impii homines, qui beati esse nolunt, beati reapse non sint, sed omnino miseri; nam ipsa sive aeternae felicitatis sive poenae aeternae consecuutio ab hominum operibus sive bonis sive malis dependet, cum praemium bonis operibus, supplicium vero operibus malis debeatur. Mala itaque hominum merita nihil obstant, quo minus Deus ipsos aeternum conservet. Quid vero, si quin imo hanc ipsam conservationem omnino ad hoc postulent, ut iidem homines

nes digna factis recipiant? (*) Ita profecto, uti paullo superius luculenter demonstravimus (*Annot. ad* § 66. *n*. 3.)

88. *Inst.* Virtus, ut dici solet, sibi ipsi praemium est, vitiumque supplicium (*a*): nempe virtutibus dediti magna penes alios probos homines, atque interdum etiam apud scelestos existimatione, reverentia, nominisque celebritate, vel saltem interna cordis pace, gaudio, et solatio potiuntur; qui autem indulgent vitiis, proborum vituperatione, et justissimis in hac vita inflictis poenis, vel ad minus timore infamiae, conscientiaeque stimulis excruciantur. Satis ergo praemii probi homines, improbique satis supplicii pro meritis in hac vita recipiunt. Quod si contendas, probos non satis praemio affici, neque improbos in hac vita satis puniri; quid vetat, quominus cum Stoicis dicamus, illos in vita altera praemium, hos autem poenam recepturos quidem fore, sed tamen nonnisi ad tempus? Nam nonne tum bonae cum malae hominum actiones finitae in se sunt? nonne momentaneae persaepe, vel saltem temporariae? Cur ergo praemium infinitum vel infinita poena, aeternum praemium vel poena aeterna eisdem debetur? Quare sive bonorum operum sive malorum praemium aut poena; tum divinae justitiae jura omnia sarta tecta sunt, quamvis Deus mentes humanas aeternum non conservet.

89. ℟. Mirum est, quantum hoc argumento delectentur Increduli et Libertini, ipsumque coquant et recoquant, quamvis a viris doctissimis exsuflatum jam millies fuerit. Ad rem:

(*a*) *De l' ame et de immortalité*.

(*) *Auctor Libri, cui titulus*: Nouvelle liberté de penser, *negare non est veritus, Deum teneri, praemia bonis, impiis vero supplicia decernere. Videsis summam hominis stultitiam; quasi nempe Deo summe bono, summeque justo nihil cordi sit, sive ipsum creaturae rationales diligant sive odio habeant; quod certe ne privatus quidem homo, multoque minus Respublica pateretur, dummodo aliquem grati animi sensum profiteatur, et aequissima justitiae suae jura exerceat. Addit: quod secus necessaria esset vita altera, in qua leones et tigres suarum caedum poenas exsolvant; quasi Bruta, non aliter ac homines, ratione ac libertate, qua mereri possint, donentur*.

rem. Virtus aliud profecto praemium, quam sit ipsa sibi, requirit, ut ad se alliciat homines:

...... quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Praemia si tollas (a)?
Non facile invenies de centum millibus unum,
Virtutem pretium qui putet esse sibi.
Ipse decor recti, facti si praemia desint,
Non movet, et gratis poenitet esse probum (b)

Immo vero quoties aeternam praemii durationem plane sustuleris, virtus ipsa in vitium, vitiumque in virtutem non semel degeneraret (*Annot. ad* §. 66.*n*.1.), et ad scelera quaeque via amplissima sterneretur (*ibid. n.* 4.). Tum aequo nimium esset misera: nemo enim cordatus asseruerit, illos, qui dolores, probra, calumnias, mortem ipsam non sine affectuum lucta maximoque interdum animi cruciatu pro Patriae, Reipublicae, praesertim vero Dei amore subeunt, plenam mercedem recepisse, si una hominum commendatione, celebritate nominis, virtutis honestate, pace conscientiae, vel etiam terrenis aliis brevissimeque interituris bonis perfruantur. Sed quid, si virtus occulta sit? nam solet in animo latere, quae fuerit excellentior. Ubi ergo commendatio, reverentia, honor, celebritas? Quid, si anxius quidam timor delinquendi, assequendique malam improborum sortem justos vehementer excruciet? ubinam, quaeso, cordis gaudium, tranquillitas, pax? Quid demum, si pii quidam homines infortuniis miseriisque in hac vita plerumque vexentur? nam *saepe contingit, ut electus quisque .... continua hic adversitate deprimatur, non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei obsequentium frequentia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat: a cunctis vero despicabilis cernitur, et hujus mundi gratia indignus aestimatur(c)*. Mittimus, qui in fine vitae sincero animo anteacta scelera detestantur, redeuntque ad meliorem frugem. Si ergo aequum praemium virtuti debetur; altera vita sit oportet, in qua hoc ipsum praemium eidem rependatur.

Quod

(a) *Juvenalis Saty.* 10.
(b) *Ovidius de Ponto lib.* 2. *Eleg.* 3.
(c) *S. Gregorius Magnus lib.* 10. *Moral. cap.* 17.

Quod attinet ad vitii supplicium; nemo profecto in animum sibi induxerit, satis plecti scelestos, qui non modo sanctissimas gravissimasque Naturae ac Societatis leges violant, sed etiam supremum ipsum Numen negant, rident, spernunt, blasphemant, si una proborum vituperatione, inflictis ab humana justitia poenis, timore infamiae, vitii turpitudine, et conscientiae morsibus torqueantur. Quid vero, si delicta occulta fuerint? quae vituperatio, quae poena, quis infamiae timor? Tum non omnia delicta punit humana justitia, neque omnia probrosam vituperationem atque infamiam extorquere ab hominibus solent. Quid, si vitii turpitudinem non modo non sentiant quidam impii, sed etiam de ipsis vitiis glorientur? Quid, si conscientiae stimulos vel non patiantur, vel saltem pro viribus opprimant, atque excutiant? solent enim iniquiores conscientiae morsibus minus lacerari: ergo eo feliciores essent, quo magis obdurati fuerint et excaecati, ipsumque vitium vitii supplicium tolleret, vel saltem temperaret. Si quis autem in postremo vitae exitu in malitia sua adhuc perseveret, aut in crimina prolabatur; quidnam supplicii in mortali hac vita reciperet? Jam vero si mala hominum merita plena nunc temporis poena non puniuntur; necesse omnino est, ut altera vita super sit, in qua vindex Deus ad juris apicem illa ipsa castiget (*).

90. Et quidem non ad tempus, sed plane aeternum. Quamvis enim sive bonae sive malae hominum actiones, si seipsis seu *physice* spectentur, sint finitae; infinitae tamen sunt *moraliter*, si nempe ad Deum, uti par est, referantur: si enim sint undequaque bonae, fiunt in *gratia* et per *gratiam* divinam, scilicet per donum supernaturale infinite, ut ita dicam, excedens res omnes creatas ac bona temporaria, eoque tendunt, ut homines iis actionibus bonis Deum diligant et colant, malis autem odio habeant et aspernentur. Porro culpa eo gravior est, quo dignitas personae, in quam patrata sit, sublimior fuerit atque excellentior.

91. Hinc praemium infinitum, vel infinitum supplicium laudatae actiones sibi merentur. Sed creaturae rationales, cum fini-

---

(*) *De hac eadem re rursum agimus in Thologia Naturali* (§. 415).

finitae sint: neque praemii *intensive* infiniti, neque *intensive* infiniti supplicii capaces sunt: necesse est igitur, ut et praemium et supplicium sint *extensive*, seu quo ad durationem infinita. Sane neque proborum beatitudo perfecta esset, si aliquis illam quandoque amittendi timor haberetur (§. 65.); neque esset perfecta impiorum poena, si spes aliqua ipsam aliquando excutiendi affulgeret. Sed illud prae ceteris observatione dignum est, quod superius adnotavimus (§. 87.). Decretum de perenni animorum conservatione *absolutum* est, atque omnem sive bonam sive malam hominum actionem antecedit. Firmum itaque constat necesse est, sive bene sive male iidem homines operentur. Jam vero justi homines Dei amici ac praemiis digni, impii autem, de quibus loquimur, ejusdem Dei inimici, dignique suppliciis ex hac vita decedunt; aliunde sive justi sive impii nulla in vita altera donantur libertate, qua vel illi peccent et a Dei amicitia excidant, vel isti resipiscant et in eumdem Deum inimicitias deponant. Justi ergo aeternum Dei amici erunt, atque ideo velut amici perpetuis praemiis afficiendi; impii vero erunt aeternum inimici Dei, atque iccirco velut inimici perpetuis suppliciis excruciandi.

92. Nec refert, quod hominum actiones momentaneae sint vel saltem temporariae: culpa enim non ex duratione temporis, quo patratur, aestimanda est: unde S. Augustinus, *nec quisquam extitit*, inquit (a), *qui censeret, tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est homicidium, vel sagrilegium, vel quodlibet aliud scelus*. Ceterum distinguenda est *actio*, qua quis peccat, a peccati *macula*; illa temporaria est ac transit, isthaec superest, neque nisi per poenitentiam deletur; atqne ideo, hac deficiente, uti reapse in damnatis deficit, macula peccati suapte natura aeternum perseverat.

93. At, *inquis*, totus et perfectus homo ex anima et corpore constans bene vel male operatur: ergo utraque haec substantia vel praemium vel poenam non seorsum sed junctim meretur. Corpus autem non statim post mortem aut mercedem recipit aut supplicium; ergo neque anima a corpore separata. Adde quod si anima sejuncta a corpore vel praemium

(a) *Lib. 21. de Civit. Dei cap. 11.*

mium vel poenam reciperet; nulla amplius esset neque esse posset resurrectionis necessitas. Ita fere argumentatur Auctor Libri *de l' ame et de son immortalité* (a).

94. R. Virtutis aut vitii princeps caussa est anima: corpus enim neutrius capax per se est. Ergo anima (quidquid sit de corpore) vel praemio vel poena affici debet. Cum tamen corpus fuerit virtutis aut vitii occasio et instrumentum aequum est, ut futurum etiam sit occasio et istrumentum praemii aut poenae animae, idque pro eo tempore, quod Deus sapientissimo consilio suo ad ipsius corporis resurrectionem praefixit. Quamobrem et anima statim post mortem receptura est aut praemium aut supplicium, et futura corporum resurrectio firma consistit. Ceterum hoc postremum ad Theologos pertinet, qui ex Sacris Scripturis hoc idem nostrae Religionis dogma perspicue astruunt atque defendunt.

95. *Ob.* 4. Et quidem 1. Si mens, inquit Lucretius (*b*), non periret cum corpore;

Non jam se moriens dissolvi conquereretur;
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
Gauderet....

2. Quod mens humana sit natura sua immortalis, ex eo asseritur, quod sit subsantia simplex et cogitans, hoc est, spiritualis. Sed spiritualis quoque est Brutorum anima, non immortalis tamen. Gratia etiam, ideae, similia sunt plane spiritualia; nihilo tamen minus perire omnino possunt, ac reipse pereunt.

3. Perfectae aeternaeque felicitatis desiderium non equidem probat Deum velle mentes humanas aeternum conservare: non enim est naturae nostrae inditum, sed vel a nobisipsis confictum, vel saltem paternae educationis praejudicium. Et quamvis esset inditum, non tamen probaret, nos esse reapse immortales. Nos cupimus vitam corporis perpetuo duraturam; cupimus etiam divitias: ergone dicendum, quod homines haec bona tandem aliquando consequuturi reipsa sint? (c) Itaque laudatum felicitatis desiderium nonnisi quoddam propriae conservationis studium est, ea de causa a Deo

(*a*) *Chap.* 3. (*b*) *Lib.* 3. *v.* 603.
(*c*(*Systéme de la nat. part.* 1. *chap.* 13.

Deo nobis inditum, ut tueamur praesentem vitam, et noxia quaeque pro viribus arceamus.

4. Sociniani sacris Scripturis pugnant. Ecclesiastes, *unus*, inquit (*a*), *interitus est hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius. Cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorim Adam ascendat sursum, et Spiritus jumentorum descendat deorsum?* Auctor Libri *Sapientiae* (*b*): *ex nihilo nati sumus, et post haec erimus tanquam non fuerimus... Cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aer*. Job (*c*): *homo cum mortuus fuerit... ubi, queso, est?* Mittimus cetera, quae legi possunt apud Theologos.

96 *ad* 1. Conqueritur anima, dum a corpore separatur, quod sit ejus forma et socia; tum quod relictura sit haec bona, quibus assueta est ac velut mancipata: potissimum vero quod scelerum conscia de sorte futura anceps saltem sit. Hinc qui, spretis his bonis, quaerunt caelestia, vitamque suam meritis ac virtutibus exornant, cupiunt dissolvi et exire foras, uti de se loquebatur Apostolus. Quare,

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce:
Ut felix poscis vivere, disce mori.

97. R. *ad* 2. Ex quo Brutorum anima sit substantia simplex, hoc unum sequitur, ipsam etiam a corpore separatam a nulla creata vi redigi in nihilum posse, seu natura sua esse perpetuo duraturam. Cum tamen ratione destituta sit, unisque sensibus corporeis alligata; fit inde, ut suo perfuncta officio vel a Deo in nihilum redigatur, vel certo certius non sentiat, non operetur, non vivat. Desunt quoque plura alia immortalitatis argumenta, quibus illam animorum superius perspicue demonstravimus (§. 65., *et Annot. ad* §. 66.).

98. Ideae, habitus, similia cum non sint nisi modi, qui opus habent subjecto, ut existant; destrui a caussis secundis possunt. At mens humana est substantia (§. 7.). Ad di-

(*a*) *cap*. 3. (*b*) *cap*. 2.
(*c*) *cap* 14. *v*. 30.

divinam gratiam quod pertinet, videsis quae alibi disseruimus (*Ontol. Annot. ad* §. 306.).

99. ℟. *ad* 3. Perfectae felicitatis desiderium inditum profecto est naturae humanae: secus enim in omnibus omnino hominibus non reperiretur, excutique, nobis in contrarium nitentibus, tandem posset. Si porro vitam vere immortalem ac beatam corporis appetimus, id hujus desiderii effectus est; eamque post resurrectionem obtinebimus; sin autem nonnisi ulterius protrahendam, id ex eo fortasse provenit, quod vel mortalem hanc vitam plus aequo diligimus, vel alterius vitae sortem pertimescimus (§. 96.). Ex eodem fonte quodammodo nascitur ad divitias, atque ad alia id genus terrena bona desiderium; cum tamen bona haec homines non plene beatos efficiant; non natura ad ipsa nos compellit, ac plures fuerunt, qui eadem omnino contempserint. Hinc par non est perfectae felicitatis desiderium et desiderium diuturnioris vitae corporis aut divitiarum. Istud non est naturae nostrae inditum, nec mirum proinde si frustretur; illud autem eidem naturae inditum a Deo est, proindeque spectari debet velut *tacitum* perennis immortalitatis *judicium*, *et quasi seculorum quoddam augurium futurorum*, uti ad rem nostram argumentatur Tullius (*a*). Neque vero eo tantum fine hoc desiderium in nobis impressit Deus, ut praesentem vitam tueremur: nam propriae conservationis instinctus etiam Brutis communis est, sed ulterius et quidem potissimum ut ita mores componeremus, quod demum ipsam perfectam felicitatem reapse consequamur: hoc enim desiderium est Brutorum quod ad propriam conservationem instinctu longe ac longe nobilius.

100. ℟. *ad* 4. Sacras Scripturas aperte innuere perpetuam animorum immortalitatem, adeo manifestum est, ut mirum sit Socinianos Scripturis ipsis eamdem oppugnare voluisse. Docent enim, animam occidi ab hominibus non posse, Deumque solum timendum, qui habet potestatem, ipsam mittendi in gehennam ignis (*b*); Moysem et Eliam cum Christo apparuisse (*c*); impios ituros fore in supplicium aeternum, justos

(*a*) *Lib.* 1. *qq. tuscul. cap.* 14.
(*b*) *Matth.* 10. *v.* 28.
(*c*) *ibid. cap.* 17. *v.* 3.

justos autem in aeternam vitam (*a*); Apostolum cupivisse dissolvi et esse cum Christo (*b*); justos in memoria aeterna esse (*c*); alios in opprobrium, in vitam aeternam alios evigilare, et quasi stellas fulgere in perpetuas aeternitates (*d*). Mittimus cetera in re perspicua.

Quare ad objectum Ecclesiastis locum quod pertinet, dicimus, verba illa intelligenda esse vel tanquam dicta ex impiorum sententia, ut putat S. Gregorius (*e*); vel de sola corporis conditione, uti innuere videntur priora verba, in quibus aequa hominum et jumentorum conditio, ac sicut ex terra origo, ita in terram reversio exprimitur; praesertim cum idem ipse Ecclesiastes praeclaras hominum supra jumenta dotes alibi extulerit; vel demum quatenus Salomon futuram animarum hominum et Brutorum sortem una naturali ratione non omnino constare putaverit. Illud certum est, ipsum Ecclesiastem animorum immortalitatem aperte astruere, dum inquit (*f*): *revertatur pulvis in terram, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

101. Auctor libri *Sapientiae* ex impiorum persona manifeste loquitur; sequitur enim: *haec cogitaverunt et erraverunt: excaecavit enim illos malitia eorum*. Ipse autem: *justorum*, inquit (*g*), *animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis*.

102. De immortalitate animae, de futura post mortem resurrectione, deque altera apud inferos vita splendidissime disseruit S. Job. Quare objecto in loco de homine loquitur, prout ex anima constat et corpore, quibus ab invicem sejunctis, totus perfectusque homo non amplius subsistit: unde quaerit, ubi post mortem sit.

CAPUT

(*a*) *ibid. cap.* 25. *v.* 46.
(*b*) *Epist. ad Philipp. cap.* 1. *v.* 23.
(*c*) *Ps.* 111. *v.* 7.
(*d*) *Daniel. cap.* 12. *v.* 2. *et* 3.
(*e*) *Lib.* 4. *Dialog. cap.* 4.
(*f*) *cap.* 12. *v.* 7.
(*g*) *cap.* 3. *v.* 1.

CAPUT III.

De essentia Mentis humanae, et perenni ejusdem cogitatione.

QUÆSTIO III.

Utrum actualis cogitatio sit physica seu realis humanae Mentis essentia?

103. *Animad.* Plura revocanda huc sunt, quae alibi disseruimus (*Ontol.* §. 81., 84., 85.), praesertim vero de essentia reali axiomata (*ibid.* §. 94., 96., 97., 98.), quae sunt totidem characteres, ad quos velut ad lydium lapidem exigi debet quidquid pro physica seu reali alicujus rei essentia habendum est (*ibid.* §. 99.).

104. *Def.* *Cogitationis* nomine quaevis hoc loci intelligenda venit humanae mentis actio, perceptio nempe, judicium, dubitatio, ratiocinium, volitio, amor, aliaeque, quot quot sunt, ejusdem mentis operationes.

105. *Schol.* Leibnitius per *cogitationem* intelligit solam *perceptionem*, cui conjuncta sit *conscientia*; Storchenau cum aliis pluribus quasvis, sed solius intellectus operationes; Cartesius demum, cum quo potissimum res praesens agenda est operationes intellectus et voluntatis plane omnes: inquit enim (a): *cogitationis nomine intelligo illa omnia, quae nobis consciis, in nobis fiunt, quatenus in nobis conscientia est; atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire, idem est hic, quod cogitare.*

Sensus quaestionis.

106. Hoc unum inquirimus, utrum actualis cogitatio, seu operatio mentis nostrae (104.), censenda sit physica seu realis ejusdem mentis essentia, id nempe, per quod ipsa est id quod est, et non aliud, quod ab illa essentialiter seu specie diversum sit (*Ontol.* §. 84.)?

107. Corol.

(a) 1. part. Princip. n. 9.

107. *Corol.* Non itaque de *ideali* tantum mentis essentia (*ib.*), nec de cogitandi facultate ac vi sermo hoc loci est (*).

Sententiarum compendium.

108. In actuali cogitatione sitam esse animae humanae essentiam, celebris est ac notissima Cartesii opinio (**), cui prae

(*) *P. Sagner* (Psychol ration. Sect. 1. cap. 1. §. 143.) *Wolfium sequutus putat*, in vi repraesentandi animae essentiam consistere. *Hoc idem asserit Mako* (Psychol. §. 441.). *Quidpiam simile docet etiam Storchenau*, *scribens* (Psych. §. 158.), *quod* vis cogitandi essenstiam animae humanae constituit. *Nisi in definiendis physicis seu realibus rerum essentiis obstaret brevissima intellectus nostri acies*, *quae entium fundum introspicere vix aut fortasse ne vix quidem potest*, *et per* vim cogitandi *ea usurpetur*, *ex qua omnes profluunt ejusdem mentis operationes* (§. 104.); *non equidem multum repugnarem*. *Facile enim concipio*, *vim illam esse a mente ipsa inseparabilem*; *tum primum illud*, *quod in mente est*; *fontem etiam et originem aliorum attributorum ac proprietatum essentialium*, *quae in mente habentur*; *ac demum illud ipsum primum*, *per quod mens ab aliis quibusque rebus essentialiter seu specie diversis distinguitur*. *Hic postremus essentiae realis character aliquam difficultatem pati posse videtur*, *cum et Brutorum anima*, *et certo certius Angeli cogitandi* vim *habeant*, *et tamen essentialiter a mente discriminentur*. *Verum si vim cogitandi*, *qualis in nobis est*, *attente perspexeris*, *deprehendes profecto*, *ipsam multum ab ea*, *quae in Angelis est et in Brutis*, *differre*: *nostra enim cogitandi vis facultatem* rationis *complectitur*, *qua caret anima Brutorum*; *et facultatem* sentiendi, *ob quam mens ipsa ad corpus ordinata est*, *qua ceteroqui Angeli per se se destituuntur*. *Saltem tanquam* idealis *ejusdem mentis essentia jure existimanda esse videtur*.

(**) *In quoddam Programma in Belgio editum ita scribit Cartesius*: nemo ante me, quod sciam, illam (*mentem*) in sola cogitatione sive cogitandi facultate, ac interno principio consistere asseruit: *quo quidem in loco* cogitationem cum

prae ceteris adstipulatus est Nicolaus Malebranchius; inquit enim: *nemo est, opinor, qui super ea re serio meditatus non agnoscat, essentiam mentis consistere in sola cogitatione* (*). Ceteri negant, pluresque se plane ignorare, in quo demum constituenda sit, uno ore pronunciant.

Principium.

109. Illud esse nequit physica seu realis alicujus rei essentia, quod non omnes habet physicae, seu realis essentiae characteres. Patet.

LEMMA.

Non omnes physicae seu realis essentiae characteres habet actualis mentis humanae cogitatio.

110. *Pr.* Primus essentiae realis character est, quod *ipsa sit inseparabilis a re, cujus est essentia* (*Ontol.* §. 94.). An cogitatio actualis separari a mente possit, nec ne, magna est inter Philosophos controversia, de qua paullo inferius et ipsi aliquid dicemus (§. 121.). Illud certum est, alios realis essentiae characteres in actuali cogitatione omnino desiderari, ut statim probabimus.

Alter

---

cum cogitandi facultate confundit. Verum tum locus, cujus paullo ante meminimus (§. 104.), *cum hic alter*: nec etiam sine ratione affirmavi, animam, ubicumque sit, etiam in matris utero, semper cogitare. Nam quae certior aut evidentior ratio ad hoc potest optari, quam quod probaverim, ejus naturam sive essentiam in eo consistere, quod cogitet (Epist. 16. part. 2.), *cogitationem actualem manifeste innuunt. Quare dicendum, Cartesium vel sibi non cohaerere, vel a priori sententia recessisse, vel demum putasse, mentem esse adeo purum actum, ut nulla in ipsa sit potentia, vis nulla, quae ab ejus actibus atque exercitio distinguatur: quod de Deo asserunt Philosophi, nosque paullo inferius exponemus.*

(*) Je ne croi pas qu'aspres y avoir pensé serieusement, on puisse douter que l'essence de l'esprit ne consiste que dans la pensée (Recher, de la verité liv. 3. chap. 1. n. 1.).

Alter character est, quod *sit primum illud, quod est in data re, cujus est essentia* (*ibid.* §. 96.). At mentis humanae actualis cogitatio supponit se priorem, saltem *prioritate*, ut ajunt, *naturae* vel *caussae* (*Log.* §. 80.), ipsam facultatem seu vim cogitandi: illa enim nihil aliud est, quam hujus modificatio et exercitium (*).

Tertius est, quod *aliorum attributorum ac proprietatum essentialium, quae habentur in data re, cujus est essentia, fons sit et origo* (*Ontol.* §. 97.). At hujusmodi profecto non est actualis cogitatio; nam cogitatione actuali est prior vis cogitandi; atque ideo non cogitandi vis, quae mentis humanae attributum est vel saltem proprietas, ab actuali cogitatione, sed ex adverso actualis cogitatio a cogitandi vi procedit.

Postremus tandem est, quod *sit primum illud, per quod data res, cujus est essentia, ab aliis quibusque rebus essentialiter seu specie diversis distinguatur* (*ibid.* §. 98.). Verum actualis cogitatio sicut non est *primum* illud, quod in mente est, uti mox vidimus; ita esse nequit illud *primum*, per quod mens ipsa a ceteris diversae speciei rebus essentialiter discrimetur. Quare non omnes physicae &c. *Q. E. P.*

PROPOSITIO.

Actualis cogitatio non est physica seu realis humanae Mentis essentia.

111. *Pr.* Illud esse nequit physica seu realis alicujus rei essentia, quod non omnes habet physicae seu realis essentiae characteres (§. 109.); atqui non omnes physicae seu realis essentiae characteres habet actualis mentis humanae cogitatio (§. 110.) ergo actualis &c. *Q. E. P.*

Solvuntur difficultates.

112. *Ob.* Mens humana definiri a Philosophis solet, quod sit *principium* seu *substantia cogitans*; sed rei naturam atque essentiam explicare debet definitio (*Log.* §. 166.): ergo falsa propositio. Ita fere argumentatur Cartesius (*a*).

113. At

(*a*) *Part.* 1. *Princip. art.* 63.

(*) *De unis creatis rebus sermo hoc loci est. Nam de Deo est plane aliter sentiendum, quemadmodum paullo inferius ostendemus.*

113. ℟. *C. maj.*, *D. min.*, rei naturam atque essentiam sive *realem* sive *idealem* explicare debet definitio, *C.*, semper *realem*, *N. min. et Cons.* Cum *reales* rerum essentiae plerumque nos lateant; fit inde, ut definitiones etiam accuratae nonnisi *idealem* ipsarum rerum essentiam saepe saepius exprimant, quemadmodum alibi adnotavimus (*Log* §. 167.). Jam vero dum Philosophi mentem humanam esse substantiam cogitantem definiunt, vel actualem ipsam cogitationem, vel unam cogitandi vim intelligunt. Si hoc alterum nihil plane nostra, quamvis cogitandi vis dici posset realis vel saltem idealis ejusdem mentis essentia (§ 107.): sin autem primum illud; laudata definitio neque realem neque idealem mentis essentiam exprimeret, cum actualis cogitatio non omnes realis essentiae characteres nobis exibeat (§. 110.).

114. *Inst.* Realis essentia talis indolis esse debet, ut ipsa posita, res quoque ponatur, cujus est essentia (*Ontol.* §. 95.) atqui posita actuali cogitatione, qualis in nobis est, ponitur etiam mens humana; ergo &c.

115. ℟. *D. maj.* realis essentia &c., ut ipsa posita, res quoque tanquam per quid *primarium* ponatur, cujus est essentia, *C.* tanquam per quid *secundarium*, *N. maj.*; et contra *D. min.* *N. Cons.* Realis essentia est primum illud, quod est in data re, cujus est essentia (*Ontol.* § 96.): ergo per ipsam tanquam per quid *primarium* ponitur res, cujus essentiam constituit. At vero actualis cogitatio a cogitandi vi procedit, unde neque est primum illud, quod in mente concipitur; neque per ipsam tanquam per quid *primarium*, sed per quid *secundarium* dumtaxat ponitur mens humana; eo fere modo, quo, posito colore, ponitur corpus, vel, effectu posito, ponitur etiam caussa, quin tamen color sit corporis essentia, et effectus essentia sit suae caussae.

116. *Inst.* Actualis cogitatio est primum illud, quod in mente nostra concipimus; ergo &c. Falsum, praeterea est, actualem cogitationem praesupponere tanquam se ipsa priorem prioritate naturae vel caussae suam cogitandi vim: nam in Deo cogitandi potentia et cogitatio ipsa nonnisi unum atque idem sunt. Postremo mens humana per actualem cogitationem, qualis in ipsa est, a materia, quin etiam ab Angelis atque a Brutorum anima, et quidem essentialiter distinguitur; quod est alter essentiae realis character (*Ontol.* §. 98.).

117. ℟. *ad* 1. **Mens humana in hoc unionis statu seipsam**

im-

immediate non contemplatur (§. 83.); sed quid ipsa sit, ex suis actionibus atque effectibus deducit. Hinc prius quidem prioritate *temporis* actualem nostram cogitationem in mente concipimus; sed tamen non tanquam primum prioritate *naturae* aut *caussae*, cum ipsa a cogitandi vi tanquam effectus a caussa sua procedat.

118. ℟. *ad* 2. Cum Deus sit immutabilis et infinite perfectus; est etiam *totus* et *purus* actus, ut inquiunt Scholae; scilicet quidquid est in Deo, ad ejus naturam atque essentiam pertinet; unde totus intelligentia, totus sapientia, totus omnipotentia, totus misericordia est, nec ullam habet *potentialitatem*: secus enim cum actus potentiam perficiat; Deus agendo seipsum perficeret ac mutaret; quod plane repugnat. Verum mens humana est finita, perficique ulterius, et mutari potest et reipsa in dies perficitur, ac mutatur. Non est igitur *purus actus*, sed habet suas vires, quae ab ejusdem effectibus, seu cogitatione omnino distinguntur.

119. ℟. *ad* 3. Non negamus, mentem humanam per actualem cogitationem, qualis in ipsa est, a materia, ab Angelis, atque a Brutorum anima discriminari. Sed quid tum? nonne etiam corpus a quibusvis spiritibus per colorem distinguitur? Necesse est ergo, ut sit *primum* illud, per quod mens ipsa ab aliis rebus essentialiter discernatur (*Ontol.* §. 98.): quod de actuali ejusdem cogitatione dici sane non potest (§. 110.).

QUÆSTIO IV.

Utrum Mens humana, quoad corpori copulata est, in perenni cogitatione versetur?

Quid senserint hac super re Philosophi.

120. Mentem humanam in perenni cogitatione versari, negant Scholastici, P. Ferrari, Jo: Clericus, et Lockius; dubitant inter ceteros Fortunatus a Brixia, et Monteirus; affirmant demum Cartesius, Malebranchius, Silvanus Regis, Leibnitius, Wolfius, Antonius Genuensis, Storchenau, aliique plures, quibus praeiverunt Thales Milesius, Tullius (*a*). Platonici, iique omnes, qui animam *naturam irrequietam* dixerunt.

121. *Ani-*

(*a*) *Lib.* 2. *de Divinat. cap.* 67.

121. *Animad.* Cartesius, cui assentitur Malebranchius, ex eo opinionem suam ostendit, quod actualis cogitatio sit physica seu realis humanae mentis essentia (*Annot. ad* §. 108.). Verum cum illud sit plane falsum (§. 111.); ruit hoc præcipuum assertionis suae fundamentum. Duplex argumenti caput usurpat Antonius Genuensis (*a*); alterum petit ex notione *vitae*, quae nonnisi in aliqua actione est posita; plantam enim, ignem, atque alia tamdiu vivere dicimus, quoad actione aliqua vitali agitantur: scilicet vitam *in actu primo* (§. 56.) omnino rejicit hic Philosophus. Alterum derivat ex quo anima neque natura sua, neque alia externa caussa, Deo excepto, possit a statu cogitationis ad statum incogitantiae transire. Dicam quod sentio. Primum illud non adhuc exploratum videtur: plures enim etiam vitam *in actu primo*, et quidem seorsum a vita *in actu secundo* concipiunt. Profecto semen plantae vel est plane mortuum, nempe ad vitam actualem est omnino ineptum; vel aptum est ad hanc ipsam vitam, nimirum ea omnia in se habet, quae ad vegetationem requiruntur; vel demum actu vivit, seu vegetatione actuali est praeditum. Primum *mortem*; alterum vitam *in actu primo*; postremum denique vitam *in actu secundo* nobis repraesentat. Quare, inquiunt, ex una communi vitae notione non necessario sequi videtur, quod mens humana perenniter cogitet.

Alterum Genuensis argumentum est hujusmodi. Sicut nullum corpus suapte natura a motu ad quietem, et a quiete ad motum transire potest; ita nulla substantia potest transire ab *actione* quacumque ad *inactionem*, cum res quaelibet natura sua *esse et conservari* exigat, nec ipsa sibi sit contraria; et ab *inactione* ad *actionem*, cum ex nihilo nihil fiat (*Ontol.* §. 17.), et nemo dare sibi possit, quod non habet (*ibid.* 263.). Anima igitur nequit natura sua a cogitationis statu ad statum incogitantiae, aut vicissim transire. Verum hoc argumentum supponit, mentem ita suapte natura, etiam in hoc unionis statu cogitare, ut necesse non sit, ipsam ab ulla externa caussa ad cogitandum determinari; quod saltem incertum est, uti ex iis constabit, quae de mentis et corporis

(*a*) *Met. part.* 3. *prop.* 13.

poris commercio , tum de nostrarum idearum origine suis in locis dicemus (§. 464.) . Interim observamus , quod si anima sive a Deo , uti Occasionalistarum sententia est , sive a corpore, ut putant Influxionistae , ad cogitandum determinari debet ; sicut nulla apparet absoluta repugnantia , quod neque Deus neque corpus eamdem ad cogitandum determinet , ita etiam nulla , quod mens ipsa aliquando non cogitet . Nempe quum res aliqua alia re opus habet , ut agat ; hac cessante , illa etiam ab actione sua cesset oportet . Dici fortassis posset , quod mens , deficientibus ceteris , seipsam contemplaretur , vel saltem ideas , quas antea habuisset , rursus inspiceret . Sed primum illud falsum est , quantum ad praesentem unionis statum pertinet (§. 83.) ; hoc autem alterum supponit , rerum ideas esse a perceptionibus realiter distinctas ; quod certo definiri hactenus non potuit . (*) Ex his porro constat , quomodo per interruptam sive Dei sive corporis actionem in animam , haec per intervalla temporis cogitare possit et a cogitatione cessare . At , urget Genuensis : *quum non cogitat* (mens) , *ne sentit quidem neque vult . . . nihil tum igitur est ; nam in re simplici his ablatis , quid ego dicam superesse , quod sit mens ?* Nempe superesset substantia , quae suis attributis et viribus foret donata , quamvis nullam actionem actu produceret ; quod certe universim in rebus creatis neque mirum est neque repugnat . Ceterum asserere nequit hic Philosophus , mentem in nihilum redire oportere , si non cogitet , qui supponat aut quod actualis cogitatio ad essentiam ejusdem mentis pertineat ; quod falsum est vel saltem incertum ; aut quod anima sine vita *in actu secundo* ne possit quidem subsistere ; quod est ad primum caput , de quo antea , redire . Haec ideo fusa oratione persecuti sumus , ut et fidem nostram , quam superius dedimus (§. 56.) , liberaremus , et intelligant tirones nostri , controversiam hanc aliis argumentis , quae tot tantisque difficultatibus non sint obnoxia , quaeque in quavis hypothesi locum habeant , definiri oportere .

PRO-

(*) *Si idea esset a perceptione distincta , uti revera esse nobis saltem probabilius videtur* (§. 454) ; *mens profecto dici posset , corporis motibus interrupta deficientibus , anteactas suas ideas contemplari* .

PROPOSITIO.

Verisimile est, mentem humanam, quoad corpori copulata est, in perenni cogitatione versari.

122. *Pr.* Certum supponimus, caussam necessariam, quoad praesto eidem sunt omnia ad agendum requisita, semper re ipsa agere, uti ex caussae necessariae indole (*Ontol.* §. 248.) manifeste deducitur. Certum praeterea est, mentem humanam in hoc unionis statu esse quoad aliquas actiones suas caussam plane necessariam, unde necesse est ut doleamus, si impressio satis violenta fiat in sensibus, et usque ad cerebrum deferatur. Si itaque animae, quoad corpori copulata est, praesto semper sunt ad cogitandum requisita; dubitari non potest, quin reipsa semper cogitet. Age modo. Ea est, fatentibus omnibus, animam inter et corpus commercii lex, ut, positis quibusdam in corpore motibus, quaedam respondentes cogitationes in mente exoriantur. At vero nullo unquam tempore, quoad anima cum corpore unita est, in eodem desunt motus. Ad statum vigiliae quod pertinet, est adeo manifestum, ut vel ipse Lokius eumdem adpellare non dubitaverit *statum cogitationis*. In somno etiam profundissimo viget cordis motus et arteriarum, circulatio sanguinis, respiratio, ciborum digestio, nutritio, spirituum vitalium, nervorum quoque, et musculorum actio non interrupta, atque id genus alia, unde fibrilla cerebri, nervique ab eodem exorti variis, mirisque modis impelluntur, concutiuntur, agitantur. Hinc vetera phantasmata reviviscunt, nova per associationem separationemve fiunt, indeque producuntur somnia, vel saltem sensiones ex internis illis motibus in mente excitari et possunt et debent. Ad tempus, quo foetus in utero matris delitescit, quod spectat non minus certa res est: anima enim non infunditur corpori, nisi adeo evolutum sit aptumque, ut vitales functiones peragat, vegetet, atque alia efficiat, quae vitae actualis sunt propria, quaeque laudatos motus omnino requirunt. Accedit eodem, quod cum arctissimus matris corpus inter et corpus foetus intercedat nexus; fieri nequit, quin illius motus huic alteri aliqua ratione communicentur. Quid vero, si foetus frequentissimis motibus ac pulsibus uteri parietes adeo concutiant, ut velut gestire et subsultare interdum videantur? Ad lethargum postremo quod attinet, licet corpus nullos edat externos motus; interni tamen, quamvis minus vividi,

in

in eodem non desunt; secus enim vitales omnes functiones cessarent; atque ideo ex ipso discederet anima, cum haec sicut non conjungitur corpori, nisi ad functiones illas aptum sit; ita, inepto ad id operis reddito, ab ipso recedit ac dissociatur. Ceterum experientia comprobatum non semel fuit, quod quidam lethargi morbo correpti audierint loquentes homines, sensuumque externorum impressiones vividissime senserint. Ex quibus sequi videtur, verisimile esse, mentem humanam &c. *Q. E. P.* (*)

Contraria momenta expenduntur

123. *Ob.* 1. Status somni est status incogitantiae: ergo falsa propositio. Ita fere Lockius (*a*).

124. ℟. *D. A.*, status somni est status *omnimodae* incogitantiae, N., hoc est, in eo statu cogitatio non est adeo vivida, uti in statu vigiliae, *C. A.*, et *N. Cons.* Si cogitatio satis vivida sit, verissimum est quod docet Lockius, nempe nos dormire non posse; non ita vero, si remissa fuerit et perfunctoria. Nemo enim fortasse est, qui somniis interdum non ludificetur; unde Metastasius.

So-

(*a*) *De intellectu humano lib.* 2. *cap.* 1.

(*) *Inquies fortasse, corporis nostri motus ad sensationes excitandas idoneos non equidem esse omnium velocissimos. Habent igitur morulas interspersas* (Phys. Gen. §. 893). *proindeque ipsa etiam cogitatio; cum haec iisdem illis motibus ad amussim respondeat. Non est itaque omnino perennis. Verum licet quilibet singularis motus datae particulae nostri corporis sit morulis interruptus, cum tamen motus omnium partium ejusdem corporis, si sumantur simul, sint innumeri; fieri utique potest, ut eo tempuscolo, quo quiescit pars una, altera moveatur, animumque determinet ad cogitationem re ipsa perennem. Tum quid si; motibus interrupte deficientibus, intimas suas ideas mens contemplatur* (Annot. ad §.121)? *Ceterum quum sermo est de cogitationis perennitate, non perennitas mathematica spectanda est, sed physica, quae nempe excludat tempus notabile cessationis a cogitatione, non autem interspersas laudatas morulas brevissimas.*

Sogna il guerrier le schiere,
Le selve il cacciator;
E sogna il pescator
Le reti, e l'amo.

Quid porro de somnambulis, et de somniloquentibus dicemus? Legatur Cl. Muratorius (*a*), qui singularia quaedam eaque verissima ad rem nostram refert phaenomena. Itaque status somni cogitationem non plane omnem a se excludit, sed tantum vividiorem, quae non sinit externos sensus, ac spiritus animales aliquantulum, uti par est, torpere.

125. *Inst.* Si status somni non esset status omnimodae incogitantiae, expergefacti recordaremur earum rerum, de quibus in somno ipso cogitavimus; non recordamur autem: ergo etc. Ita idem Lockius (*b*).

126. R. *D. maj.*, si etc., expergefacti recordaremur semper, et omnium earum rerum, de quibus etc., *N.*, secus, *C. maj.*; et contra *D. min.*, *N. Cons.* Nos quandoque earum rerum recordari, de quibus dormientes cogitavimus, adeo certum est, ut nihil magis. Sed quamvis res ita non esset, quid tum? numquid cogitatio et memoria adeo inter se connectuntur, ut illa haberi sine ista non possit? apage nugas. Adulti plurium non meminimus, de quibus antea certo certius etiam vigilantes cogitavimus. Sed ad statum somni redeamus. Nonne somnambuli cogitant, quin tamen persaepe in vigilia vel minimum recordentur? Id autem fit, vel quia, ut arbitratur Wolphius, cogitationes in somno habitae utplurium confusae sunt et obscurae; hinc enim fit, ut mens a claris et distinctis vigiliae ideis rapiatur, eas somni non advertat, atque ideo ipsarum omnino non recordetur.

127. *Inst.* Si semper et omnium earum rerum de quibus in somno cogitavimus, non recordatur mens nostra, duas referret personas, alteram dum dormimus, et alteram dum vigilamus (*c*); atqui id est absurdum intolerabile: ergo etc. Qua quidem super re advertendum est, Lockium putasse (*d*), iden-

(*a*) *De viribus phantasiae.*
(*b*) *Loco citato.*
(*c*) *ibid.* §. 11. (*d*) *ibid. cap.* 27. §. 10.

identitatem *personae* in identitate *conscientiae* cogitationum sitam esse. Si itaque mens vigilans conscientiam non habet illarum cogitationum, quas in somno habuisset; duplicem personam referret, quarum una ad somni statum, altera ad statum vigiliae pertineret. Tum essent plane inutiles cogitationes in somno ipso habitae, si earum in vigilia non recordaremur. At natura nihil frustra molitur (*a*). Postremo praesens quaesito est quaestio, ut ajunt, *facti*; quae proinde dirimi non potest, nisi positiva praesto sint argumenta, quibus perennis, etiam in somno cogitatio ostendatur. Jam vero sublata recordatione, quid superest, quo mentem cogitasse nobis persuademus? (*b*)

128. R. *ad* 1. Fallitur Lockius, dum identitatem personae in identitate conscientiae cogitationum sitam esse arbitratur (*Ontol. Annot. ad* §. 175.): persona enim est *intellectualis sive rationalis substantia*, *seu natura singularis ultimo completa*, *et sui juris*, *seu incommunicabilis alteri tamquam supposito* (*ibid.* §. 168.). At vero sive homo dormiat sive evigilet, sive recordetur suarum cogitationum vel conscientiam habeat sive non, sicut esset eadem rationalis natura singularis ultimo completa et sui juris, ita semper foret una eademque persona.

129. R. *ad* 2. Natura profecto nihil frustra molitur; sed ut aliquid plane inutile esse tuto affirmemus, oportet, quod omnes omnino fines ab Auctore naturae intenti nobis innotescant. Ita ne vero? Tum si censendae sunt penitus inutiles cogitationes in somno habitae, eo quod illarum in vigilia non recordemur; cur non tot aliae, quas sive in infantia, sive adulti habuimus, quarum tamen nulla penes nos habetur recordatio? cur non somnia illa quibus certo certius agitantur somnambuli, et somniloquentes, quin postea de iisdem memoria in ipsis supersit? an certa rejeceris, quod occultos fines, quibus destinata sunt, ignores?

130. R. *ad* 3. Sublata recordatione cogitationum, quas in somno habuimus, superest argumentum, quod superius exposuimus (§. 122.), scilicet lex commercii, perennes motus in corpore, atque animae ad percipiendum necessitas.

131. *Ob.*

(*a*) *ibid. cap.* 1. §. 15.
(*b*) *ibid.* §. 10.

131. *Ob.* 2. Nulla est cogitatio, nisi anima se cogitare sentiat (*a*); atqui anima foetus in matris utero non sentit se cogitare: ergo falsa propositio.

132. ℞. *D. maj.*; nulla est cogitatio, nisi anima se cogitare sentiat, hoc est, nisi reflectat se cogitare, N.; nisi cogitatio sensum sui faciat, *C. maj.*; *et D. min.*, anima foetus in matris utero se cogitare non sentit, hoc est, non reflectit se cogitare, *C.*, nullam habet cogitationem, quae in anima sensum sui faciat, *N. min.*, *et cons.* Quaevis cogitatio sensum sui facit in anima; cogitatio enim est mentis affectio, et affectio mentis non est nisi ejusdem sensus. At simul cogitatio ipsa haberi in nobis potest sine ulla reflexione, qua conscii simus, atque advertamus, nos cogitare, uti uniuscujusque experientia compertum est et exploratum. Imo vero infantes ad usum rationis non adhuc venti sentiunt quidem, sed se sentire nunquam advertunt, cum id genus advertentia ad usum rationis, quo carent, pertineat. Cur ergo non ita etiam cogitat anima foetus in matris utero delitescentis ob motiones illas impressionesque, quae in ejusdem corpusculo continenter fiunt (§. 122.)?

133. *Inst.* Ideae, quae ad cogitationem necessarie sunt, vel per sensationem vel per reflexionem menti adveniunt (*b*); atqui anima foetus in matris utero nullam habet sensationem; sensus enim nullam ab objectis externis impressionem recipiunt, nec ullam habet reflexionem; haec enim ad usum rationis pertinet, quo anima foetus eo in statu adhuc caret; ergo haec ipsa anima nullam habet cogitationem, quae in eadem sensum sui faciat.

134. ℞. *Permitto maj.*; *N. min.* quoad primam partem, *et Cons.* Non est hujus loci idearum nostrarum originem definire. Ad rem praesentem quod spectat, dixisse sufficiat, animam etiam in matris utero delitescentem habere posse sensationes; quamvis enim externi sensus, puta oculi vel aures coloris aut soni impressiones non recipiant; possunt tamen motiones externas ex corpore matris ortas ad cerebrum fetus deferre. Tum quidam interni ac perennes motus per nativam internamque corporis ipsius foetus actionem excitantur, qui esse possunt sufficiens sensationum animae origo et occasio, uti paullo ante observavimus (§ 122.).

135. *Inst.*

(*a*) *id. ibid.* §. 11. (*b*) *id. ibid.* §. 17.

155. *Inst.* Neque externi motus ex matris corpore orti, neque motus interni ex nativa corporis foetus actione producti videntur sensationum animae ejusdem foetus origo et occasio. Non priores: foetus enim in quodam velut innatat fluido, quod impressiones ex matris corpore provenientes arcet atque extinguit. Sed neque posteriores: nam circulatio sanguinis, humorum secretiones, aliaque id genus, quae ad vegetationem pertinent, per solum partium organici corporis mechanismum perficiuntur, ut observant Anatomici peritissimi. Sicuti ergo ab anima non pendent, ut fiant, ita neque afficiunt animam adiguntque, ut sentiat.

156. *R.* Foetum solidis etiam materni corporis partibus, praesertim vero umbilicali venae inniti, nemo unus ignorat. Fluidum quoque, in quo innatat, quid vetat, quo minus motus matris recipiat, ac foetui ipsi communicet? imo vero communicare debet, ut una cum ipso ab uno ad alium locum transferatur. Quid plura? nonne foetus quasi per vitam matris vivit?

Nec refert porro, quod interni motus, quibus vegetatio foetus absolvitur, non ab anima, sed a solo partium mechanismo dependeant: nam etiam impressiones, quae ab externis objectis in sensibus fiunt, non pendent ab anima; hanc tamen ita afficiunt, ut ipsa ad cogitandum determinetur. Sed internos motus reapse idoneos esse ac plane sufficere, ut mens cogitet, jugi experientia compertissimum est. Nam si quis attentionem suam ab aliarum rerum contemplatione paullo avocaverit, direxeritque ad illud unum, quod in ipso contingit, certam quamdam affectionem ac pulsus deprehendet ac sentiet.

CAPUT IV.

De humanae Mentis origine.

QUÆSTIO V.

Utrum Mens humana sit Deus, vel Dei pars attributum, aut modificatio?

157. *Def. Dei* nomine ens hoc loci intelligimus *extensive* et *intensive*, ut ajunt, seu undequaque infinitum, adeo nempe ut non modo infinitas habeat perfectiones, sed etiam harum unaquaeque infinita sit nullisque omnino limitibus circumscripta.

138. *Schol.*

138. *Schol.* Diversae, non quidem re sed verbo tenus, pro rerum opportunitate tradi a Philosophis solent de Deo notiones. Quam exposuimus, nobis suppeditat vel ipse Benedictus Spinoza, cum quo potissimum mox congrediemur: inquit enim (a): *per Deum intelligo ens absolute infinitum hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam, et infinitam essentiam exprimit.*

Sensus quaestionis.

139. An itaque mens humana, seu principium illud, quod in nobis cogitat, sit Deus ipse undequaque infinitus, vel ejus pars, attributum, aut modificatio, praesentis disputationis caput est ac summa.

Philosophorum placita.

140. Mentem humanam esse ipsum Deum, censuerunt Manichaei, qui, teste Augustino (b), asserebant, *animam nihil esse aliud, quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino, quod Deus est.* Placuit etiam Marcionitis Priscillianistis, et Arabibus quoque haec sententia. *Omnia sunt Deus* inquiebat Almaricus apud Gersonem (c): *Deus est omnia: creator et creatura idem: idem creat et creatur.* Esse autem Dei partem opinatus est Pythagoras: docuit enim, animum *esse* (Deum) *per naturam rerum intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur* (d); seu *demitti animos e coelo, divinaeque mentis eos esse non solum munus, sed etiam partem praecipuam et propriam* (e). Hoc idem senserunt Euripides (f), Ægyptii, Caldaei, Graeci plures, ac Stoici (g), quorum opinionem his versibus expressit Virgilius (h).

Esse-

(a) *Ethi. part.* 1. *def.* 6.
(b) *Lib.* 7. *de Gen. ad lit. n.* 17.
(c) *De concord. metaph. cum Logica.*
(d) *Cicero de nat. Deor. lib.* 1. *cap.* 11.
(e) *Auctor Libri de* Consolatione *Tullio adscripti.*
(f) *Cicero Lib.* 1. *qq. tuscul. cap.* 26.
(g) *Seneca lib.* 2. *qq. nat. cap.* 45.
(h) *Lib.* 4. *Georgic. v.* 222.

Esse apibus partem divinae mentis, et haustus
Ætherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Mittimus Siamenses plures, Sinenses seu Mandarinos, Japoniae Bonzios, et Brachmanes Indiae. De mente Platonis disputant Eruditi. Inter recentiores eminet Benedictus Spinoza qui prae ceteris errorem hunc prosequutus est ac munivit. Eo redit tota ejus hac super re doctrina, quod nempe una tantum numero existat substantia, eaque sit Deus, duobus potissimum ornatus essentialibus attributis, scilicet immensa *extensione*, cujus partes seu modificationes sunt corpora, et immensa *cogitatione*, cujus partes seu modificationes sunt mentes humanae (*Ontol.* §. 283.). Hinc docet (*a*), *mentem humanam partem esse infiniti intellectus Dei: ac proinde cum dicimus, mentem humanam hoc, vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanae mentis explicatur, sive quatenus humanae mentis essentiam constituit, hanc, vel illam habet ideam*. Spinozam sequuti sunt Tolandus (*b*), Kuffelaerus (*c*), Poiretus (*d*), aliique perditissimi homines, qui, eo quod per ipsos *Deus sit omnia*; *et omnia Deus*, *Pantheistae* graece, latine *Omnideistae* adpellantur,

Principium.

141. Nulla res constare ex iis potest, quae se mutuo destruunt (*Ontol.* §. 13.).

LEMMA.

Si Mens humana esset Deus, vel Dei pars, attributum, aut modificatio; Deus ipse ex iis, quae se mutuo destruunt, omnino constaret.

142. *Pr.* Mens humana est 1. undequaque finita: caret enim innumeris perfectionibus, et quas habet, finitae in se sunt. 2. Est etiam quoad existentiam suam absolute contingens,

---

(*a*) *Ethi. part.* 2. *corol. prop.* 11.

(*b*) *Pantheisticon*.

(*c*) *Ars ratiocinandi*.

(*d*) *De dec. div. lib.* 1. *cap.* 10. §. 2. 20. 24.

gens, quod vel Spinoza ipse agnovit, docens (*a*) *hominis essentiam non involvere necessariam existentiam*. 3. Non est suapte natura aeterna: quod enim suapte natura aeternum est, non potest existentiae suae initium aut finem habere. At mens humana, cum ejus existentia contingens sit, habere potest ejusdem existentiae suae initium aut finem (*Ontol.* §. 41.) Haec de anima. Ad Deum quod pertinet, nemo Pantheistarum negaverit, ipsum esse undequaque infinitum, absolute necessarium, suapteque natura aeternum. Si ergo mens humana esset Deus, vel Dei pars, attributum, aut modificatio; jam Deus ipse esset undequaque finitus simul et infinitus, absolute contingens et necessarius, natura sua non aeternus et aeternus: quippe ea omnia habeat necesse est, quae sive ipsi, sive ejus parti, attributo, aut modificationi conveniunt. Illa porro sese mutuo destruere, nemo est qui non videat. Igitur si mens humana &c. *Q. E. P.*

PROPOSITIO.

Mens humana non est Deus, neque Dei pars, attributum, aut modificatio.

143. *Pr.* Nulla res constare ex iis potest, quae se mutuo destruunt (§. 141.); atqui si mens humana esset Deus, vel Dei pars, attributum, aut modificatio; Deus ipse ex iis, quae se mutuo destruunt, omnino constaret (§. 142.): ergo mens humana &c. *Q. E. P.*

144. *Schol.* Alia plura adduci in medium hac super re possent: cum tamen in Theologia naturali agendum de eadem sit (q. II.); illud unum subjicimus, quod adversus Fortunatum Manichaeum urgebat S. Augustinus; *si quaeris*, inquit (*b*), *utrum a Deo descenderit anima, magna quidem quaestio est: sed sive a Deo descendit, sive non; illud de anima respondeo, non esse Deum; aliud esse Deum, aliud animam. Deum esse inviolabilem, incorruptibilem, et impenetrabilem, et incoinquinabilem, et qui ex nulla parte corrumpi possit; et cui nulla ex parte noceri potest. Animam vero videmus et peccatricem esse, et in ærumna versari, et veritatem quaerere, et liberatore indigere. Haec mutatio animae ostendit mihi, quod anima non sit Deus. Nam*

(*a*) *Ethices part.* 2. *axiomate* 1.
(*b*) *Disput.* 1. *n.* 11.

Nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur; quod nefas est dicere. Animam vero non esse Dei partem, ex eo probat idem S. Doctor (*a*) quod ipsa, quantum ad ejus affectiones pertinet, mutabilis sit, Deus autem vere summeque incommutabilis.

Pantheistarum cavillationes exsuflantur.

145. *Ob.* 1. Ideo mens humana esse non videtur infinitae divinae cogitationis pars, quia undequaque infinitus est Deus, mens autem humana est undequaque finita (§. 142.) : sed haec ratio nihil plane evincit : ergo &c. *P. min.* Concursus Dei cum creaturis licet, prout in creaturis ipsis est ac recipitur, sit finitus; est tamen infinitae divinae sortis et naturae : ergo a pari, infinitae divinae cogitationis pars esse potest mens nostra, quamvis sit undequaque finita.

146. ℟. *C. A.*, *N. Cons. et paritatem*. Dei actio, qua cum creaturis ad operandum concurrit, vel spectatur quatenus a Deo ipso fit, vel quatenus in creaturis, ut ita dicam, recipitur, seu effectus in iisdem producit. Si primum illud; certe est infinita : Deus enim nequit nisi infinito modo operari. Sin autem hoc alterum; finita est : nam creaturae utpote finitae non possunt nisi finito modo Dei actiones atque effectus in se recipere. At hoc postremum in ea tantum hypothesi verum esse potest, quod creaturae proindeque et mens humana sint res a Deo ejusque attributis distinctae prorsus atque diversae : nam si essent Dei partes, attributa, aut modificationes, essent quoque undequaque infinitae, cum ad infinitam ipsius Dei naturam pertinerent, atque ex ipsa promanarent; quod quidem adeo cohaeret cum Spinozae principiis, ut vel ipse asserere non dubitaverit (*b*), quod *omnia, quae ex absoluta natura alicujus attributi Dei sequuntur, semper et infinita existere debuerunt*; quodque *mens humana adaequatam habet cognitionem aeternae, et infinitae essentiae Dei* (*c*). Quare vel mens humana ejusque cogitatio non sunt pars divinae cogitationis, vel infinitae sunt. Hoc alterum nemo sanus dixerit; ergo primum illud. Discrimen porro

(*a*) *Epist.* 166. *n.* 3.
(*b*) *Æth. part.* 1. *prop.* 21.
(*c*) *Eth. part.* 2. *prop.* 47.

porro divinum concursum inter et humanam cogitationem intercedens, situm in eo est, quod ille totus, quantus est, a Deo procedat, et non sit finitus, nisi quatenus finitos effectus in creaturis producit; cogitatio autem nostra a mente fiat, proindeque sive in se spectata, sive quatenus a mente finita producitur, finita sit; unde ille quidem, sed non isthaec infinitae divinae sortis est et naturae.

147. *Inst.* Dei cogitatio esse nequit infinita, nisi quamcumque aliam cogitationem in se contineat; sed cogitationem humanae mentis in se non contineret Dei cogitatio, si mens ipsa, licet finita, non esset infinitae divinae cogitationis pars: ergo &c.

148. ℟. *D. maj.* . Dei cogitatio esse nequit infinita, nisi quamcumque aliam cogitationem *eminenter* in se contineat, *C.*, nisi contineat *formaliter*, *N. maj. et D. min.*, cogitationem humanae mentis *eminenter* in se non contineret Dei cogitatio, si &c., *N.*, non contineret *formaliter*, *C. min.*, *et N. Cons.* Ut divina cogitatio dici possit ac sit infinita, non est necesse, quod *formaliter*, ut ajunt Scholae, (*Ontol.* §. 265.) seu secundum propriam formam, speciem sive entitatem in se contineat quamcumque aliam finitam humanae mentis aut Angelorum cogitationem; quin imo id plane repugnat: cum enim ejusmodi cogitatio finita sit et imperfecta; quidpiam in Dei natura ac substantia finitum imperfectumque existeret, atque iccirco idem Deus non esset nec esse posset *intensive* infinitus. Satis igitur superque est, quod eamdem *eminenter* contineat, ita nempe ut divina cogitatio sit humana cogitatione longe nobilior atque perfectior (*ibid.*). Hac ratione vires omnes omnesque facultates ac dotes creaturarum Deus in se complectitur. Quare licet mens humanae ejusque cogitatio non sit divinae mentis et cogitationis pars; haec tamen est undequaque infinita.

149. *Inst.* Quod est hic et non alibi *formaliter*, non est immensum; quod est nunc, sed non fuit aut futurum non est *formaliter*, aeternum non est: ergo a pari, si divina cogitatio humanam mentem ejusque cogitationem in se *formaliter* non contineret, non esset undequaque infinita. Neque vero repugnat, quod mens finita et finita cogitatio sint divinae infinitae mentis et cogitationis partes aut modificationes. Nam nonne supponi potest linea infinita, ex qua aliqua finita pars abscindatur? haec tamen ad illam infinitam lineam, cujus pars est, omnino spectaret.

150. R. *C. A. N. Cons.*, et *paritatem*. Cum *immensitas* sit praesentia ubique locorum; si res aliqua non esset ubique *formaliter*, ne esset quidem immensa. *Æternitas* proprie dicta ac perfectissima est existentia seu duratio neque principium habens neque finem; unde si res aliqua aut non fuit aliquando, aut aliquando futura non est *formaliter*, non est aeterna. Hinc liquet, quod prior illa aliquam, ut ita dicam, habet ad loca relationem, ad tempus autem haec altera. At divina cogitatio nullam relationem habet ad cogitationem mentis humanae. Ceterum sicut Deus est immensus atque aeternus, quamvis creaturarum praesentiam in loco, ac temporariam earumdem existentiam *formaliter* in se non contineat; ita etiam ipsius Dei cogitatio esse potest infinita, quamvis cogitationem mentis humanae *formaliter* non complectatur.

151. Linea, quam objiciebant Adversarii, *extensive* tantum, non autem *intensive* infinita supponitur, quatenus nempe unaquaeque ejus pars finita est ac limitibus circumscripta. At vero Deus utroque modo est infinitus (§. 137.). Quare licet finita lineola ad lineam infinitam pertinere possit, attamen finita humana mens ejusque cogitatio ad infinitam Dei mentem et cogitationem pertinere nullatenus potest.

152. *Ob.* 2. Tolandus, Poiretus, aliique Spinozae Discipuli et sequaces sacris etiam Scripturis errorem suum munire conati sunt. Itaque 1. *Inspiravit* (Deus) *in faciem ejus* (nempe Adami) *spiraculum vitae* (*a*). Igitur anima hominis est Dei flatus, halitus, emanatio, pars.

2. *Non permanebit*, ait Deus (*b*), *spiritus meus in homimine*. Tum *si spiritum illius*, inquit Eliu apud Job (*c*), *et flatum ad se trahet* (Deus), *deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur*. Ergo anima est spiritus Dei et flatus.

3. Ecclesiastes, *revertatur*, inquit (*d*), *pulvis in terram, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. At corpus velut terrae pars, in terram revertitur: ergo anima tanquam pars Dei ad Deum redit.

4. Apo-

(*a*) *Genes. cap.* 2. *v.* 7.
(*b*) *Ibid. cap.* 6. *v.* 3.
(*c*) *Cap.* 34. *v.* 14.
(*d*) *Cap.* 12. *v.* 7.

4. Apostolus; *in ipso* (Deo), inquit (*a*), *vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: ipsius enim et genus sumus*. Igitur mens nostra ex Dei substantia est.

153. ℟. *ad* 1. Passim sacrae Scripturæ, hebraicaeque Linguae phrases res etiam plane spiritales nobis exibent velut si materiales essent et corporeæ; ut cum *audire*, *videre*, *odorari* dicitur Deus. Quare ut indicaret Moses, Deum creasse Adami animam, eam, ceu si esset halitus, inspiratam fuisse scribit. *Creasse*, inquam: nam in priori Geneseos capite Adam dicitur *creatus*; quod quidem cum intelligi non possit de corpore, quod Deus ex præexistente materia effinxerat de animae creatione intelligendum potissimum est.

154. ℟. *ad* 2. Hominis anima dicitur *spiritus*, *et flatus Dei* eo in sensu, quo in sacris ipsis Scripturis *Dei* esse dicuntur Cedri; nempe quatenus Deus omnia condidit, conservat, ac plenissimum habet in res omnes dominium, ut legenti, quæ objecto testimonio præmiserat Eliu, compertum est et exploratum.

155. ℟. *ad* 3. Non eo modo de anima, quo de corpore, loquitur objecto in loco Ecclesiastes: istud enim asserit *sumptum* e terra, illa vero a Deo *datam*, ut inde significaret, corpus quidem in terram tanquam partem in totum reverti, animam autem ad Deum veluti ad suum finem ultimum ac centrum redire.

156. ℟. *ad* 4. In Deo vivimus, movemur, et sumus, quatenus Deus ubique est, atque ab ipso vitam, motum existentiam, omnia accepimus. Tum non per naturam, divinæque substantiæ effluxionem, sed per gratiam, per adoptionem, per imaginem et similitudinem dicimur ac sumus *genus* Dei.

Nec refert, quod Apostolus usurpaverit poetarum ethnicorum verba: quamvis enim ipsi in ea fuissent opinione, quod mens humana sit vel Deus ipse, vel ejus pars, attributum, aut modificatio; putandus tamen non est secutus illorum sententiam, sed quoad corticem tantum usurpans emphatica illa verba eo spectabat, ut etiam ex poetis ethnicis ostenderet dignitatem nostram, atque Areopagitas a stultissimo simulacrorum, quae ignobiliora nobis ipsis sunt, cultu opportune revocaret.

(*a*) *Cap.* 17. *v.* 28.

QUÆSTIO VI.

Utrum Mentes humanae sint totidem universalis mundanae animae a quibusdam commentae partes ?

157. *Schol.* Theodoretus (*a*) Platonem, et Platonicos Clemens Alexandrinus (*b*) in ea ipsa, quam mox refutavimus; opinione fuisse scribunt. Sed, saltem quoad Platonem negat Plutarchus, dum refert (*c*), hujus philosophi doctrinam esse, quod mens humana sit Dei opus. Quid igitur est *crater* ille, quem Plato in *Timaeo* suo pluries laudat? quid, quem legimus apud Auctores graecos, *fons animarum*? Est nempe certa quaedam universalis anima, quae *mundana* appellatur, omnes omnino permeans Mundi hujus partes, eisque et vitam, et motum, et energiam impertiens, adeo ut hoc universum creditum fuerit ingens quoddam et *magnum animal*, eoque devenit Thomasius (*d*), ut asserere non dubitaverit, hanc animam esse *Spiritum Sanctum*. Itaque mentes humanas non esse nisi totidem mundanae hujus animae partes, praeter Veteres, docuerunt etiam Eugubinus, Galante, Pausa, Mornay, et hisce nostris temporibus Hartsoeker (*e*), qui praeterea addit, hanc animam esse substantiam fluidam et cogitantem. Ad Platonem quod pertinet, an mentes humanas ex universali anima, velut excerptas esse docuerit, non auserim omnino definire (*).

(*a*) *De curandis Graecorum affectibus Orat.* 5.

(*b*) *Lib.* 5. *Stromatum*.

(*c*) *Lib.* 4. *de Placitis cap.* 7.

(*d*) *Dissert. var. arg. Dissert.* 32.

(*e*) *Cours de Phys. liv.* 1. *chap.* 1. *art.* 9.

(*) *Scribit Ficinus, Platonem in ea fuisse sententia, quod hic Mundus sit plane optimus. Hinc sequi putavit, non modo unumquodque organicum sive Brutorum sive hominum corpus suam peculiarem formam seu animam habere, sed etiam totum ipsum universum sua et quidem universali anima seu forma vivificari. Nam illud compositum est perfectius, quod et suam formam habet, et ex partibus coalescit, quarum unaquaeque sit quid totum perfectum, hoc*

PROPOSITIO.

Mentes humanae non sunt totidem universalis mundanae animae partes.

158. *Pr.* Atque in primis mundana haec anima est plane fictitia; quippe ejusdem existentia nullis omnino momentis, non sensu intimo, non experimentis, non analogia, non consensu hominum, nullo denique alio argumenti genere ostendi potest. Imo vero invictissime refellitur, si mentes nostrae ex eadem excerptae dicantur. Nam mens humana est libera: ergo et mundana illa, cujus haec nostra esset pars, proindeque lapidem, ferrum, cretam, arborem moderaretur pro lubito, neque haec corpora invariatis semper, constantibus, ac plane mechanicis legibus regerentur; quod quidem et ridiculum est, et communibus probatissimis obviisque observationibus adversatur. Non ergo existit haec mundana anima, cujus pars sit mens humana. Tum vel est substantia spiritualis, vel materialis et corporea. Si hoc alterum ergo mentes nostrae, quae spirituales sunt (§. 23.), esse nequeunt totidem ejusdem partes. Sin autem primum illud; cum spiritualis substantia cogitans sit simplicissima (§. 16.), non potest habere partes, in quas discerpatur, quaeque in totidem distinctas humanas mentes sese conforment. Quod si dixeris, mentem nostram esse ipsam mundanam animam simplicissimam non in partes discerptam, sed totam

---

hoc est, ex materia et peculiari forma seu anima constans. Haec quidem ratio nihil plane evincit quoad universalis mundanae animae existentiam: quippe Universum esse potest in suo genere omnino perfectum, etiamsi careat anima, unamque tantum habeat materialem, *ut ajunt*, formam, *seu eas partium dispositiones modificationesque, quae ipsi, ejusque naturae ad amussim respondeant: ex his tamen, sequi videtur, Platonem docuisse, esse in unoquoque homine duas animas, quarum una sit* rationalis; *altera vero eaque minus perfecta*, sentiens *sit atque universalis mundanae animae pars aliqua. An autem etiam priorem illam putaverit esse alicujus universalis animae portionem, viderint ii, quibus plus otii dii fecerunt.*

totam ubique diffusam; illud quoque dicas oportet, nempe nonnisi unam numero animam in omnibus omnino et singulis hominibus reperiri; quod falsum esse, paullo inferius invicte demonstrabimus (§. 240.). Quae cum sint, quocumque se vertant Adversarii, fateantur necesse est, quod mentes humanae non sunt etc. *Q. E. P.*

QUÆSTIO VII.

Utrum Mentes humanae conditae a Deo fuerint in statu praeexistentiae?

159. *Def. Statum praeexistentiae humanarum mentium* illum vocamus, in quo eaedem ipsae animae nullis alligatae terrenis hisce et humanis corporibus extitissent.

Sensus quaestionis.

160. An itaque mentes nostrae conditae in hoc statu primum fuerint, hoc loci investigamus. Quid hac super re venditaverint Pythagoras, Socrates, Plato, et Origenes, jam exposuimus in Logica (§. 361.), ubi etiam fundamenta jecimus, quibus fictitius hic status inter aniles fabulas amandetur.

PROPOSITIO.

Mentes humanae conditae a Deo non fuerunt in statu praeexistentiae.

161. *Pr.* Si in hoc statu fuissent conditae; profecto cognitiones aliquas in eodem ipso habuissent (*Log.* §. 361.); si habuissent autem, se illas habuisse, nunc vel clare vel saltem obscure recordarentur (*ibid.* §. 363.); atqui non recordantur (*ibid.* §. 364.); non ergo eas habuerunt, neque fuerunt proinde a Deo conditae in statu præexistentiae. *Q. E. P.*

162. *Schol.* Inter plura alia, quae chimaericum præexistentiae statum refellunt, unum tantum vel alterum in medium hoc loci adducimus 1. Nihil affirmare debet prudens Philosophus, nisi rationem sufficientem, cur affirmet, in promptu habeat (*Ontol.* §. 214.). At nulla praesto est Adversariis sufficiens ratio, cur præexistentiae statum, qui ceteroqui magni momenti est, adstruere jure possint, uti ex objectionum solutionibus manifeste constabit. 2. Adami anima, nisi formato ejusdem corpore, creata non fuit, quemadmodum ex Libro

Libro Genesis (*a*), atque ex unanimi SS. Patrum consensione compertissimum est. Hinc damnata fuit Origenis opinio et a Justiniano Imperatore, et ab Anastasio Romano Pontifice, et a Concilio oecumenico Constantinopolitano II.

Praeexistentianorum argutiae refelluntur.

163. *Ob.* 1. Ex quo mentes humanae non recordentur, se in statu altero cognitiones habuisse; sequi non videtur, quod eas in statu illo re ipsa non habuerint. *P. A.* 1. Mentes humanae non recordantur eorum, quae sive in utero matris, sive in infantia procul dubio cognoverunt: ergo a pari &c.

2. Animae cum corpore unio esse potest caussa, cur anteactarum rerum oblita penitus fuerit: mens enim in corpore velut in tenebricoso inclusa carcere, rei novitate obstupefacta, suique corporis affecta contagio angustiisque non potuit non oblivisci eorum, quae in felicissimo præexistentiae statu cognoverat.

3. Mens corpori copulata ita commercii legibus obstricta est, ut percipiat nihil, nihilque ad memoriam revocet, nisi quae per sensus acceperit. At mens nostra in statu præexistentiae cognitiones suas per sensus non hausisset.

4. Tot illae vicissitudines, quas in suis ab uno ad aliud corpus migrationibus subiit mens nostra, esse possunt omnigenae praesentis oblivionis caussa.

5. Fieri etiam potest, ut haec oblivio in scelerum suorum pœnam data sit hominibus.

6. Dum a statu præexistentiae ad statum unionis transit anima, perinde se habet ac si a statu vigiliae ad statum somni transiret: præexistentia enim et vigilia sunt idearum perspicuarum status; unio autem et somnus status sunt idearum confusarum. Atqui dum a vigiliae statu ad statum somni transiit mens nostra, non advertit, se in statu vigiliae cognitiones habuisse: ergo neque dum a statu præexistentiae ad unionis statum transiit, recordari debet cognitionum, quas in præexistentiae statu habuerat.

164. ℟. *ad* 1. Cognitiones, quas vel in matris utero, vel in prima infantia habuimus, obscurae ut plurimum fuerunt atque indistinctae; tum sine ulla reflexione easdem nobis comparavimus; cerebrum denique adeo molle tunc temporis est,

(*a*) *cap.* 2. *v.* 7.

est, ut rerum corporearum vestigia, (a quibus cognitionum in hoc unionis statu habitarum memoria plurimum pendet) aut in ipso non imprimantur tam facile, aut impressa facile deleantur. At vero cognitiones, si quas in præexistentiae statu habuissent mentes humanae, fuissent omnino perspicuæ distinctaeque; tum cum reflexione ab iisdem comparatae; ac demum sicut non per sensus acquisitae, ita etiam, ut recordarentur, se illas habuisse, satis plane esset ac super, quod organa sensoria res illas ipsis repraesentarent, quas in priori illo statu cognoverant. Ex quo igitur non recordemur nos in matris utero atque in infantia habuisse cognitiones, quas tamen habuimus, non sequitur, hoc ipsum dici eodem jure debere de cognitionibus, quas mens nostra in præexistentiae statu habuisset. Ceterum ea de caussa dicimus, nos cogitasse in utero matris atque in infantia, quod, dempta etiam recordatione, id alia argumenta satis persuadeant (§. 122.). At sublata recordatione quoad cognitiones in asserto præexistentiae statu habitas, nullum aliud suppetit momentum, quo adstruere statum illum vel minimum valeamus. Hoc argumenti genere usus est etiam Lucretius (a):

Praeterea, si immortalis natura animai
Constat, et in corpus nascentibus insinuatur;
Cur super anteactam aetatem meminisse nequimus?
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere est animi vitiata potestas,
Omnium ut actarum exciderit retinentia rerum,
Non, ut opinor, ea ab letho jam longiter errat.

165. N. ad 2. Mentem humanam non fuisse in corpus tanquam in tenebricosum carcerem detrusam, mox dicemus (§. 171). Quod autem ejusdem cum corpore unio impedire non possit, quominus ipsa recordetur, se in statu præexistentiæ cognitiones habuisse, vel ipsi fatentur Plato, Pythagoras, et Origenes. Plato quidem: nam scribit, quemdam Armenium, qui in praelio occubuerat, rediisse ad vitam, eaque omnia, quae ejusdem anima sejuncta a corpore viderat, narrasse. Pythagoras vero testatus de seipso est, se recordari eorum, quæ noverat in praecedente conjunctionis cum alio corpore statu. Multo igitur magis possent homines, quæ in

(a) *Lib. 3.*

in statu præexistentiæ cognoverant, in memoriam revocare. Denique Origenes ex eorum recordatione, quae in præexistentiae statu contigerant, derivandum esse putat (*a*), quod Jacob luctaretur cum fratre suo Esau in matris utero, et Joannes Baptista ad Christi Domini praesentiam exultaret. Perridicula hæc quidem sunt; ostendunt tamen, unionem cum corpore, vel ipsis fatentibus contrariæ sententiae coriphaeis, obstare non posse, quominus mens nostra, se in statu præexistentiae cognitiones habuisse recordetur.

166. ℟. *ad* 3. Quamvis mens humana, ob commercii leges nihil in hoc unionis statu perciperet, nisi quæ vel immediate vel mediate a sensibus pendet; cum tamen eorum non semel recordetur, quae his mediis cognoverat, eodem saltem jure dici poterit, quod recordari etiam deberet, se in statu præexistentiae habuisse cognitiones, quas, ex Adversariorum doctrina, ipsa mens nostra sensuum ope rursus in se se excitat, ac sibi repraesentat.

167. ℟. *ad* 4. Vicissitudines illas, quas in tot ab uno ad aliud corpus migrationibus subiisse dicitur mens humana, et chimæricae sunt, ut subinde dicemus, et impedire non possunt, si Platonem ipsum, ac Pythagoram audias (§. 166.), quominus ipsa anteactarum rerum et cognitionum recordetur.

168. ℟. *ad* 5. Scelera etiam, in quorum pœnam rerum in præexistentiae statu cognitarum oblivio data a Deo sit, commentitia sunt ac plane fabulosa. Tum cur Jacob, Esau, ac Johannes Baptista, contendente ipso Origene, anteactarum rerum et cognitionum sunt recordati? Numquid non peccaverant? apage nugas.

169. ℟. *ad* 6. Maximum intercedit discrimen inter statum somni et statum vigiliae, ac inter unionis statum et statum præexistentiae. Status somni praeterquamquod confusas obscurasque plerumque habet ideas, est etiam ejusmodi, ut mens nostra ratione in ipso non utatur. Hinc vigilare sibi videtur, dum tamen dormit, neque proinde cognitiones, quas habet referre ad vigiliae statum potest. At longe aliter se habet res quoad statum unionis: mens enim non pluribus modo perspicuis distinctisque ideis ornata in eadem est, sed reflectit quoque usuque rationis donatur; atque ideo non solum adver-

(*a*) *Lib.* 1. *de Principiis cap.* 7. *n.* 4.

advertere potest, cognitiones se nunc habere, verum etiam se illas jam pridem habuisse. Cur ergo praestare hoc idem non poterit quoad cognitiones, quas habuisset in praexistentiae statu, quasque nunc temporis sensuum ope refoderet, ac sibi rursus repraesentaret?

170. *Ob.* 2. Mentes humanae in terrena haec corpora veluti in totidem carceres detrusae fuisse videntur. Nam 1. naturae ordine ac perfectione priores sunt corporibus. Est igitur absonum, quod iisdem corporibus sint tempore posteriores; atque hinc dici debent conditae in statu praeexistentiae, subinde vero ob aliquod delictum detrusae in haec corpora.

2. Regius Psaltes Deum exorabat (*a*), ut ejus animam ex hoc corporis ergastulo compedibusque liberaret; *educ de custodia animam meam*. At corpus non esset carcer, nisi supponatur, quod anima detrusa in ipsum fuerit ob aliquod antea ab eadem patratum crimen.

3. Patratum, inquam, non in praesenti hoc statu, sed in altero, qui animae cum corpore unionem praecesserit. Nam mentes humanae statim ac cum suis copulantur corporibus, malis innumeris, angustiisque usquequaque premuntur. Hoc autem injustum videtur, nisi praecessisset crimen, de quo in hoc statu unionis poenas exolverent.

4. Id fassus de seipso videtur idem David, quum ait (*b*): *priusquam humiliarer, ego deliqui*.

5. Neque vero hoc crimen tantorum malorum causa esse potest culpa originalis. Haec enim cum eadem plane sit in omnibus omnino singulisque hominibus, eadem quoque et aequalis poena in omnibus esse deberet; quod tamen falsum est: alii quippe minus, plus vero alii excruciantur malis, quamvis nullum novum crimen in hoc unionis statu patraverint. Necesse est igitur, quod in statu altero, scilicet præexistentiae in Deum plus minus deliquerint.

171. *R. ad* 1. Non ea profecto de caussa anima corpori copulatur, ut in ipso, veluti in carcere, penderet alicujus criminis debitas poenas. Nam si res ita esset, cur, quæso, lex graviorum scelerum reos plectit morte, sinit vero insontes

---

(*a*) *Psal.* 141. *v.* 8.
(*b*) *Psal.* 118. *v.* 67.

tes diu vivere? nonne aequiori jure a praesenti hoc supplicii statu innocentes liberari per mortem deberent, impii autem diutius suis alligari corporibus, ut gravius pro meritis malis puniantur? Aliam igitur ob causam fit haec corporis atque animae unio, est nempe a Natura ipsa intenta. Et sane humanum corpus est nostrae animae velut connaturale: mens enim est sui corporis nativa et essentialis forma. Tum ex utraque hac subsantia mirum illud perfectissimumque emergit compositum, quod *hominem* nuncupamus, quodque est praecipuum nobiliusque adspectabilis hujus Universi decus et ornamentum. Denique illa ipsa, quae potissimum in hac Tellure sunt, nata videntur et efformata, ut non soli menti aut soli corpori, sed utrique simul juncto seu toti homini inservirent. Quae quidem omnia et singula satis aperte ostendunt, Deum eo fine, quamvis non solo, mentes humanas condidisse, non ut ex se essent ac viverent, bene vero ut cum terrenis suis corporibus sociarentur.

Neque vero ex quo mentes sint corporibus praestantiores, sequitur, quod ipsae anteá creari a Deo debuerint. Nonne Adae corpus erat limo nobilius? illud tamen nonnisi sexto die, scilicet post alia quaevis materialia composita fuit elaboratum. Anima igitur hominis cum destinata a Deo fuerit, ut corpus vivificaret; creari non debuit, nisi corpore ipso jam efformato, ut ita officio suo statim post creationem fungeretur.

172. ℟. *ad* 2. Psalmum, quem nobis obtrudunt Origenistae, contexuit David, quum ob Saul Regis persecutionem in spelunca veluti in carcere latitabat. Deum itaque deprecabatur, ut se ab illa ipsa educeret ac liberaret. Quod si intelligendus est loquutus de corpore; hoc unum dici ad summum potest, nempe cupivisse animae a corpore, quod est miseriarum locus, dissolutionem, ut Deo suo perpetuo ac beate frueretur.

173. ℟. *ad* 3. Malorum, quibus homines in hac vita excruciantur, fons et origo implicatissimum est argumentum, quod in naturali Theologia adversus Manichaeos fusa oratione versabimus. Ad praesens institutum quod attinet, cum Origenistas vellicemus, facili negotio ac jure assignari a nobis potest; nempe non ex aliquo in statu praexistentiae patrato crimine, sed ex culpa originali, mala psaeaertim physica, imo et mortem ipsam exordium sumpsisse dicimus,

uti

uti passim docent Sacrae Scripturae. Non itaque injustus Deus, si mentes humanas statim ac cum suis sociantur corporibus, pluribus malis iisque gravissimis undique et premuntur et torquentur.

174. ℟. *ad* 4. Peccata, ob quae sese humiliaverat David, illa ipsa erant, quae non in fictitio præexistentiae statu, sed in statu unionis cum corpore antea patraverat.

175. ℟. *ad* 5. Nemo porro miretur, si licet culpae originalis malitia, quam fuisse diximus (§. 173.) malorum praesentis hujus vitae fontem et caussam, aequalis sit in omnibus, non omnes tamen aequales poenas re ipsa patiantur. Imprimis enim tanta ipsa est, ut nullis temporariis vitae hujus suppliciis puniri ad juris apicem possit. Tum parentum crimina non raro in caussa sunt cur filii eorum sint aliorum filiis miseriores: Deus enim, sicuti etiam leges humanae, Majorum culpas in filiis quoque atque in nepotibus temporariis malis interdum plectit. Postremo non tenetur Deus miracula patrare, sed consuetae providentiae suae leges expostulant, ut res eo ordine, eaque ratione fiant, quaam caussarum atque effectuum contingentia requirit. Hinc si Parentum incuria, vel malesana eorundem constitutione, vel alia quavis caussa procreantur filii, atque in lucem eduntur, qui velut originariis affecti sint morbis, neque perfecta gaudeant sive structura corporum sive etiam valetudine; nihil plane refundi in Deum debet, quod summam atque aequissimam ejusdem justitiam labefactare vel minimum possit.

APPENDIX.

De Metempsychosi

176. *Schol. Metempsychosin*, seu animorum ab uno ad aliud corpus *transmigrationem* in primis docuit Pythagoras, asseruitque (*a*), mentem suam fuisse in pavone, gallo, pisci, ave, vermi; tum in Ethalide, Cuphorbo, Pyrrho, Hermotimo, Homero, Pirandro, Colliclea, Alci meretrice. Quam quidem doctrinam ut aliis persuaderet, in subterraneo quodam specu per sex menses latuisse ferunt: indeque, præter expectationem omnium, squalidum erupisse foras, hac dictitasse, mentem suam migravisse in novum corpus.

Qidpiam

(*a*) *Laertius Lib.* 8. *seg.* 4.

Quidpiam simile fabulatus de seipso est Empedocles inquiens apud Laertium : *ego fui puer , puella , planta , piscis , avis* : tum fanaticus ille audacissimusque nostrorum temporum Sycophanta Diderot , qui in tanta rerum luce venditare minime erubuit , se fuisse canem , felem , simium , virum , mulierem , tandemque philosophum . Hanc ipsam sententiam tradidit Plato , qui fabulam de Armenio illo , cujus paullo antea meminimus (§. 165.) , in vulgus edere non est veritus . In eo tamen dissentiebant , quod , juxta Pythagoram , omnes omnino mentes humanae perpetuo migrent ab uno ad aliud corpus , puta regis , sapientis , vel plebeji , indocti , vel etiam belluae , quod anteactae vitae actionibus sive bonis sive malis respondeat ; juxta Platonem autem non perpetuo , sed tantum ad tempus , quoad nempe debitas praecedentium criminum poenas exolverint , ornaverintque se virtutibus : tunc enim temporis iterum rediturae sunt ad Astra , unde demissae fuerant , ibique vitam omnino beatam acturae (*) . Metempsycosim probarunt etiam Empedocles , qui se olim fuisse puerum , puellam , plantam , piscem commentus est ; Timaeus Locrus (*a*) , Graeci plures , Chaldaei , Ægyptii ; Persae , Indi , atque etiamnum orientales populi fere omnes (*b*) ; eoque stultitiae devenit Helmontius , ut Adae animam in corpus Messiae , qui est *secundus Adam* , migratam defenderit . Scribit Manasseh Ben Israel (*c*) , hanc de Metempsychosi opinionem ab Hebraeis ad Gentiles

(*a*) *Laertius lib. 7. seq. 77.*

(*b*) *Calmet Diction . bibli. art.* Metemps.

(*c*) *Lib. de Creatione Problemate 15.*

(*) *Cum pluries legamus apud Scriptores veteres , animos ad inferos post mortem descendere , ibique poenas de patratis in mortali hac vita criminibus persolvere : conciliari id non posse videtur cum sententia de Metempsychosi , nisi dicere velimus , animam quidem sentientem in altera vita poenas luere , sed rationis compotem* (V. Annot. ad §. 157.) *vel perpetuo vel saltem ad tempus ab uno ad aliud corpus migrare . Dici etiam posset , laudatos Philosophos , qui una naturali ratione ducebantur , sibi hac etiam in re constantes non fuisse .*

tiles derivatam fuisse, Sed falso: nam nonnisi posteriores Kabbalistae errorem hunc docuisse videntur.

PROPOSITIO

Commentitia plane est ac fabulosa animorum transmigratio.

177. *Pr.* Nullum est argumenti genus, quod hanc animorum transmigrationem vel minimum persuadeat: nam quae de seipsis narrant Pythagoras et Empedocles, tum quae de Armenio refert Plato, sunt omnino fabulosa. Quis enim illa sibi in animum induxerit, cum nemo alius eorum recordetur, quae in praecedente asserto statu cogitaverit perfeceritque? quam ob caussam, vel quo demum fato alios omnes obruit omnimoda haec anteactarum rerum oblivio? Sed, quod magis est, haec opinio catholico dogmati adversatur, quo constat, animam post mortem ita a suo corpore dissociari, ut in nullum aliud transeat, ac simul cum illo uno corpore vel praemium vel poenam pro qualitate factorum tandem aliquando post resurrectionem fore recepturam. Quare commentitia plane est &c. *Q. E. P.*

QUAESTIO VIII.

Utrum omnes humanae Mentes creatae simul fuerint in corpusculis organicis in Protoparentibus nostris a Mundi exordio inclusis?

178. *Def. Corpuscula organica* sunt quaedam machinulae a Natura ipsa mire fabrefactae, in quibus organa omnia ad vitales et animales functiones peragendas necessaria disposita sunt, uti par est, atque ordinata.

179. *Schol.* Duplex assignari a Philosophis solet corpusculorum organicorum genus; atque in primis *animalcula spermatica*, quae sunt totidem veri vermes (*Phys. Partic.* §. 1281.) in marium semine, imo quandoque in ipsis etiam feminis contenti (*ib.* §. 1274.), ac de quorum existentia dubitare nisi ii non possunt, qui, ut inquit Cl. Vallisnerius (*a*), *o non vogliono, o non possono, o non sanno mette-re*

(*a*) *Della generazione dell' uomo e degli animali part.* 1. *cap.* 9. *n.* 5.

re in buon uso simili ordigni (scilicet microscopia), *o che per ignoranza o per malizia hanno in orrore le cose nuove*. Maxima est eorumdem copia; *summa cum delectatione*; inquit Leweenoekius, omnium primus, ut fertur (*), diligentissimusque hac super re observator ad amicum scribens; *summa cum delectatione magnam animalculorum copiam detexi*, adeo ut *respectu unius ovi foeminae ranarum decem millia animalculorum essent in semine masculino*. Tum in altera Epistola se vidisse testatur *in mole aequali arenae similis galli gallinacei* 50000. *vermes*, & 10000. *in lactibus piscis Aselli*. Denique in Epistola 64. scribit, *numerum animalculorum ex Aselli lactibus ortorum, non tantum decies, sed et plus tricies superare numerum omnium in orbe terrarum mortalium*.

180. Alterum corpusculorum organicorum genus sunt *muliebria ova*. Nimirum prope foemineum uterum in extremitatibus tubarum, quae ex illarum observatore Fallopio, *fallopianae* nominantur, sita sunt duo *ovaria* olim *testes muliebres* dicta, quae ovariis gallinarum assimilantur, et quorum unumquodque extrisecus exhibet 10., 15., 20., aut multo plures prominentes vesiculas alio humore plus minus turgidas intrinsecus autem et inter laudatas vesiculas continet *glandulas* suis papillis ornatas, quas *corpora lutea* vel *glandulosa*, aut etiam *folliculos* adpellant. In his veluti in *areolis* seu *calicibus* residere putantur vera *ovula* et in ovulis *corpuscula organica* seu *germina animalia*. Vallisnerius, Leibnitius, aliique, atque inter veteres Empedocles, Aristoteles, Hippocrates, et Macrobius putant, organica haec corpuscula per auram seminalem foecundata sensim evolvi adducique per tubas fallopianas in uterum, cum quo ipsae communicant. Sed negant Artsoeker, Leweenoekius, Andry, Franciscus de Platande qui et Dalempatius, aliique, quorum judicio muliebria ova non sunt corpora organica, sed tantum ve-

(*) *Scribit Regis, omnium primum fuisse Hartsoeker, qui an.* 1674. *spermatica haec animalcula observaverit. Sed multo antiquior fuit haec doctrina, notaque Democrito, Euripidi, Anaxagorae, aliisque veteribus pluribus apud Ludovicum Dutens* Origine delle scoperte &c. tom. 2. part. 3. cap. 4.).

velut loca apta, in quibus animalcula spermatica sistuntur. Scilicet foecundatio per ipsos fit quatenus aliquod spermaticum animal transmittitur in foeminae ovulum, in eoque velut radices figit, evolvitur, unaque cum ipso per tubas fallopianas in uterum descendit, ibique crescit, ac demum editur in lucem, si quidem mater sit *vivipara*, ut canis; sin autem *ovipara* sit, ut avis, ovulum ipsum emittitur, quin prius in uterum descenderit; atque ex eodem, incubatione peracta, excluditur foetus, ac foras erumpit (*). Altera hoc loci innuenda est inter laudatos Scriptores exorta controversia. Lewenoekins potissimum et Andry opinantur, animalcula spermatica veros esse ac proprie dictos vermes, quoad in maribus sunt, tumque solum in propriae speciei corpora converti, quum in foeminis evolvuntur et explicantur. Contra vero sentiunt Dalempatius, aliique, quorum sententia animalcula illa etiam antea in hominibus sunt totidem homunciones, totidem pisciculi in piscibus &c. Utramque hanc opinationem solide refellit Cl. Vallisnerius (*a*). Illud certum hac super re videtur, animalia quaeque ex suae specei ovis oriri: *è stato oramai stabilito da tutti i Letterati di fior di senno* inquit laudatus Vallisnerius (*a*), *che ogni animale non eccettuato né meno l' uomo, nasca dall' uovo*. In physica particulari rem hanc fusiori oratione ad examen revocabimus (*q.* XXII.

181. Omnia et singula corpuscula organica, in quibus stamina foetus continentur, fuisse in Mundi exordiis a Deo procreata, plures docent: sed in eo dissentiunt, quod alii, licet paucissimi, velint, ipsa seorsum per mundanam hanc rerum universitatem volitare, atque tum solum evolvi et in sensibile

(*a*) *Tom.* 2. *Operum della generazione dell' uomo e degli animali*.

(*b*) *Dell' origine de' Vermi ordinarj nel corpo umano tom.* 1. *Operum pag.* 118.

(*) *Alterius ovarii intra uterum et circa internum ejus orificium ac cervicem constituti, ubi racemus innumerorum ovorum semper conspicitur, meminit Hoffmannus* (lib. 1. sect. 2. cap. 12. §. 15), *ac putat, haec ovula, non quae in vulgari ovario continentur, apta esse generationi. De hac re in Physica particulari*.

bile animal concrescere, quum in aptas suarum specierum matrices inciderint, quibus velut foveantur et incubentur; alii vero in primis animantibus, vel nempe in foeminarum ovariis, vel in marium lumbis fuisse collocata. Postrema hæc opinio dicitur sententia *Involutorum*, ea de caussa, quod corpuscula illa sic involuta fuerint ac sint, ut unum contineatur in altero; ac demum omnia et singula, si de hominibus sermo sit, in lumbis Adae vel in Evae ovariis extiterint (*). Non desunt tamen, qui utramque hanc opinionem rejiciant, ac putent laudata corpuscula nonnisi successive efformari atque compingi(**); quæ quidem sententia dicitur doctrina *Epigenesiae*, ac de qua in Physica particulari, ubi de animantium et plantarum origine (§. 1327. *et seqq.*). Hoc loci animadvertisse sufficiat, controversiam, de qua in præsentiarum, locum non habere, nisi omnia omnino laudata corpuscula organica in Mundi exordio extitisse supponantur.

Sensus quaestionis.

182. Quaerimus, num omnes omnino mentes humanae creatae simul fuerint a Deo in organicis corpusculis, nempe vel in spermaticis Adae animalculis, vel in Evae ovulis, suoque corpusculo in Mundi exordiis sociatae?

Auctorum opiniones.

183. Affirmat Leibnitius (*a*), quem sequuti sunt Auctor Libri *Assai de Psycologia* Londini editi an. 1755., Carolus Bonet (*b*), Dariesius, Wulfingerus, Mejerus, Boehmius, Wincklerus, Baumeisterus, prae ceteris autem Wolfius (*c*). Omnes humanas mentes in spermaticis Adae animalculis procreatas

---

(*a*) *Theodic. part.* 1. §. 91., *part.* 3. §. 397. *et Noveaux Assais.*

(*b*) *Contempl. de la nat. Palingenesie* 6. *et* 8.

(*c*) *Psychol. rational.* §. 704.

(*) *Si concipias circulum, in quo puta decem alii circuli minores contineantur, et horum quisque alios decem complectatur circulos, atque ita porro; tum si in priori circulo Adamum vel Evam tibi exhibueris, in decem autem minoribus eorum filios in lucem editos, et sic deinceps; perspicuam Hypothesis* Involutorum *ideam habebis.*

(**) *Non omnes quoad caussam, tempus, ac modum, unde laudata corpuscula successu compinguntur, inter se conveniunt, uti suo in loco diductius exponemus.*

creatas fuisse ea potissimum de caussa asseruit D. du Vigerius, ut aliqua ratione implicatissimam originalis culpae tranfusionem explicaret (*) ; quod etiam adnotaverat Leibnitius (*a*).

Hypothesis.

184. Mentes humanae in corpusculis organicis a Deo non creantur, nisi haec ad vitales peragendas functiones apta sint et expedita.

185. *Schol.* Hipothesis loco id usurpamus. Neque immerito: nam vel ipse Leibnitius docet, animam, quandiu in involutis germinibus latet, gaudere sentiendi munere; et Wolfius, ipsam esse in statu perceptionum confusarum (*b*), scilicet sibi repraesentare hoc Universum convenienter mutationibus, quae contingunt in animalculo spermatico, vel in corpusculo organico stamina foetus continente (*c*). Verum, quod magis est, cum mens nostra ita a natura comparata sit, ut haberi debeat, tanquam essentialis humani corporis forma; profecto opus non est, ut cum eodem conjungatur, nisi munus suum exercere in idem corpus possit, atque ideo nisi corpus ipsum ad vitales functiones peragendas sit aptum. Postremo sicut anima a corpore separatur, statim ac illud ad functiones illas ineptum redditur; ita etiam, nisi idem corpus ad id operis aptum sit, anima ipsa creari infundique dici non debet. Hinc liquet, quam falsa sit et paradoxa Georgii Stahlii opinio, qui putat, animam omni exutam corpore infundi in maternum uterum, ibique organicum

---

(*a*) *Theod. part.* 1. §. 91. (*b*) *Loc. cit.* §. 706.

(*c*) *Ibid.* §. 715.

(*) *Sed inepte: vel enim mentes illae proprio voluntatis suae actu consenserunt Adamo, vel non: si primum; illorum culpa fuisset actualis; quod negat Apostolus* (ad Rom. cap. 5.), *et naturalis ipsa ratio, qua constat, animas eo in statu usum rationis ac libertatis exercitium habere non potuisse. Si alterum; tota adhuc atque in suo robore persistit difficultas, qui nempe factum sit, ut anima, quae pura de Creatoris sui manibus exierat, quaeque alieno non consenserat peccato, culpa tamen infecta sit ac turpissime foedata.*

cum corpusculum, in quo subinde hospitetur et vivat, sibi compingere (*).

LEMMA.

Organica progignendorum foetuum corpuscula, si inclusa fuerunt in Protoparentibus, ad functiones vitales tunc temporis peragendas apta et expedita non fuisse videntur.

186. *Pr.* Ostendi id non melius potest, quam si ipsa *Involutorum hypothesis* expendatur. Fingamus itaque corpuscula omnia organica in Evae ovulis fuisse contenta; si vel rudis ineatur calculus, ipsorum copia erit plane immanis. Nam totum vivens humanum genus ad nongentos milliones (900000000) hominum extendi, communis est Eruditorum sententia. Singulis triginta annis quaelibet generatio praeterit, et ab aequali succedente reparatur. Quare generationes a Mundi exordio ad haec usque tempora sunt 193. a quibus si undecim generationes demeris, extitisse comperies centum sexaginta tria millia et octingenti milliones hominum (163800000000). Quod si addideris homines illos, qui ad finem usque Mundi extituri sunt; tum corpuscula organica, quae in foeminis ante vigesimum aetatis annum vita functis, vel innuptis, aut sterilibus perierut, suntque in posterum peritura, quaeque spectari jure possent velut totidem aliarum generationum capita; fatearis oportet, laudata corpuscula in Eva contenta fuisse plane innumera. Sed progrediamur. Ovaria, uti ex Recentiorum observationibus licet conjicere, sunt pars millesima muliebris corporis, in quo continentur. In millesima itaque corporis Evae parte innumera reperiebantur corpuscula organica, quae idcirco immanis exilitatis fuisse necesse est. Et sane ovaria saltem viginti ova intra se continent (§. 180.). Igitur quodlibet ovulum est saltem viginti mille vicibus minus corpore matris suae. Porro unum ovum continet alterum proxima generatione evolvendum (§. 181.), atque ea ipsa intercedere debet inter hoc alterum ovulum et prius illud proportio, qualis est

inter

(*) *Non modo enim id plane gratis asseritur, sed etiam nequit intelligi, quomodo anima, quae vel in ipsis adultis sui corporis structuram nescit, potuerit sciveritque illud ipsum corpus sibi elaborare.*

inter ovulum; in quo filii corpusculum continetur, et corpus matris. Quare ovulum, ex quo exclusus est Wolfius, erat viginti mille vicibus minus ovulo; quod mox evolvendum suae matris corpusculum complectebatur. Age dum singulas percurre 182. ante anteactas generationes, quas praeterisse supposuimus, et pro unaquaque minue viginti mille vicibus ejusdem Wolfii corpusculum; manifestum est, quod ipsum est, quod in Eva fuisset 2640000. vicibus minus ovo, in quo mox evolvendum parentis suae corpusculum continebatur. Quanta porro fuisse dicenda est exilitas ovuli in Eva contenti, quod in omnium generationum postrema erit nasciturum? tanta nempe, ut cum vel ipsam imaginationem fugiat, quidam negaverint, corpuscula omnia organica fuisse a Deo in Mundi exordiis procreata, atque in Protoparentibus nostris vel tum inclusa (§. 181.) (*). Demus tamen, omnia et singula extitisse tunc temporis; illud saltem videtur perspicuum, ipsa ad vitales peragendas functiones apta non fuisse et expedita: nam ad id operis necessum erat, quod non modo habuissent nervos, arterias, venas, cor, musculos, ossa, carnem, ceterasque humani corporis partes, sed etiam quod circulatio et percolatio sanguinis, motus cordis et arteriarum, humorum secretio, aliaque id genus sexcenta fieri potuissent; et quidem perfecto ordine, proportione, harmonia, concinnitate; uti actualis animantium vita, de qua sermo nunc est, omnino requirit. Haec autem omnia haberi peragique in corpusculis parvis adeo atque immaniter exiguis, quis sibi persuaserit (**)? Hoc idem potiori jure dicen-dum

(*) *In hoc calculo posuimus, duobus ovariis simul sumptis non contineri nisi ovula 20., cum tamen multo plura reapse contineantur. Totam praeterea comparavimus ovariorum massa corporis materni. Atqui in ovariis praeter germina animalia sunt quoque vesiculae,* glandulae *seu* corpora lutea, ovulorum membranulae, humor, *aliaeque partes; quae quidem non constituunt laudata germina. Horum itaque exilitas est longe longeque major, quam quae statuta a nobis fuit.*

(**) *Nec refert, quod quaedam minutissima animalcula vix ac ne vix quidem microscopiis conspicua laudatas functiones exerceant. Puto enim, quod sicut diversa adulta cor-*

dam est da spermaticis Adami animalculis, quorum tanta est copia, ut ovorum copiam longissime superent (§. 179.). Quae cum ita sint organica progignendorum &c. Q. E. P.

PROPOSITIO.

Omnes humanae Mentes creatae simul non fuerunt in corpusculis organicis, in Protoparentibus nostris a Mundi exordio inclusis.

187. *Pr.* Mentes humanae in corpusculis organicis a Deo non creantur, nisi haec ad vitales peragendas functiones apta sint et expedita (§. 184.); atqui organica progignendorum fœtuum corpuscula, si inclusa fuerunt in Protoparentibus, ad functiones vitales tunc temporis peragendas apta et expedita non fuisse videntur (§. 186.): ergo omnes &c. Q. E. P.

188. *Schol.* Non desunt momenta alia, quibus assertio hæc nostra ostendi firmarique ulterius possit. 1. Corpuscula organica in Eva adhuc inclusa vel vitales suas peragebant functiones, vel non. Si hoc alterum: ergo anima per id tempus copulata cum eisdem non fuit, neque creata (§. 184.). Sin autem primum illud; poterunt ergo ovula sine foecundatione evolvi, fœtusque ex ipsis excludi: quandoquidem nihil aliud praestat foecundatio, quam corpusculo organico internum motum, energiam, brevius, vitam impertire. 2. Vel omnia omnino et singula ovula in Evae ovariis contenta sua anima potiebantur, vel non. Hoc alterum dici jure non potest: nulla quippe apparet ratio, cur Deus unis quidem, non vero aliis aeque perfectis atque ad peragendas vitales functiones idoneis corpusculis animas sociaverit. Ergo primum illud. Sed rursus quaero, utrum animae illae fuerint omnes rationales, nec ne? Respondet 1. Leibnitius (a) o-mnes

---

(a) *Theod. part.* 3. §. 397. *corpora organica diversam magnitudinem sibi postulant, ut datas peragant functiones; ita etiam, dum parva sunt, diversam sibi vindicent magnitudinem, ut reapse vivant; adeo nempe quod illa tenuitas, quam habet puta muscae corpusculum vix evolutum, quaeque nihil obstat, quominus certas quasdam functiones perficiat, obstet plane, quominus humanum corpusculum evolutum sit, atque illis ipsis functionibus perfungatur.*

mnes quin imo intellectu et ratione caruisse, atque his facultatibus tum primum a Deo ornari, quam foetus concipiuntur. Verum quibus tandem id probat? cur non potius illas animas recens creat Deus, quin a Mundi exordio jam conditis velut novam ac plane diversam naturam adjiciat? Tum de anima rationali hoc loci disputamus, quidquid sit de substantia alia, quae omnipotenti Dei actione, seu *transcreatione*, ut ipsam vocat Leibnitius, converti in rationalem posset. Quid plura? ipse idem philosophus primae hujus responsionis infirmitatem agnovit; unde velut se corrigens respondet 2., Deum animas rationales in iis dumtaxat corpusculis collocasse, quae nascitura seu fore concipienda praeviderat; in reliquis autem nonnisi animas ordinis longe inferioris. At vero istud est comminisci, et hypothesim hypothesibus onerare. Ceterum nonne analogiae leges, quas tanti facit Leibnitius postulare videntur, ut si uni corpusculo organico concedatur rationalis anima, aliis etiam aeque perfectis hæc eadem concedi possit ac debeat? Adde, quod sicut corpuscula illa organica humana sunt, ita et animae cum eisdem copulandae esse debent humanae, ut istae illis respondeant. Neque audiendus est idem Leibnitius, qui sibi ad libitum persuadet, corpuscula, quae Deus non praeviderat fore concipienda, nec praestabiliverat, ab aliis ceteris, quae erant nascitura, *essentialiter* discriminari. Si enim adeo ab aliis differunt; non equidem *humana* sunt, neque humani corporis stamina complectuntur. At hoc loci de humanis organicis corpusculis sermo est, non de aliis, quae alia animantium genera fortasse constituunt. Superest ergo, ut cum Boehmio asserant Adversarii, animas plane omnes fuisse rationales, quamvis usu rationis per id tempus carerent. At quis hoc ferat? nam tot perirent rationales animae, quot ovula pereunt, qua quidem in hypothesi persuaderi non posset virginitas, nec liceret fœminis eamdem Deo vovere; tum polygamia vetari viris nequiret; denique omnes omnino foeminae tenerentur adniti, quantum possunt, ut plures ac plures partus edant. Haec eadem dicenda sunt quod ad spermatica marium animalcula, si quidem animae rationales vel a Mundi exordio collocatae in ipsis fuerunt; illudque addendum praeterea cum Vallisnerio (a), esse velut naturae ty-

ran-

(a) *Della generazione dell' Uomo ec. part.* 1. *cap.* 10. *n.* 22.

rannidem ac stultitiam, innumeros homunciones mori sine ullo propriae speciei commodo atque utilitate necessario debere, uterumque illorum cadaveribus aspergi, ut unus tantum vel alter homo ad summum nascatur. (*)

Audiuntur Leibnitiani.

189. *Ob.* 1. Sapientissimi Artificis est ita opus suum elaborare, ut nihil praeterea operari circa illud debeat; atqui non ita profecto hunc Mundum elaborasset Deus; ut nihil praeterea operari circa ipsum debeat, si omnes omnino mentes humanas non condidisset in rerum primordiis, eaque cum organicis corpusculis, in Protoparentibus nostris inclusis non copulasset: ergo falsa proposito.

190. R. *D. maj.* Sapientissimi &c., quoties nihil plane in opere illo sit, quod ulteriorem postulet Artificis sui operationem, *permitto*; secus, *N. maj. D. min*, non ita profecto &c., et aliunde aliquid in Mundo est, quod ulteriorem Dei operationem postulat, *C.*, secus, *N. min. et Cons.* Hanc rerum universitatem perpetua costantique opus habere Dei actione, qua et conservetur et agat, ne Wolfius quidem negaverit, illudque unum contendit, Deum nempe post primam ipsarum rerum molitionem nihil novi creare (*a*). Sed oppido fallitur; siquidem sapientis artificis leges postulant, ut ordinem, quem opus requirit, sartum tectum servet. Jam vero ordo, quantum ad mentes humanas pertinet, esse videtur.

(*a*) *Part.* 1. *Theol. nat.* §. 834.

(*) *Sed, inquis, Deum non dedecet, quod innumera plantarum semina pereant; cur non idem in re nostra? At omnia plantarum semina, quantum ad ipsa pertinet, nasci possunt, atque etiam ad alios usus inserviunt. Ita ne vero quoad rationales animas, de quibus loquimur? non certe: quippe in hac hypotesi esset Naturae institutum et lex, ut innumerae perirent. Quis porro illarum usus? vel quo tandem devenient? Luuntne pœnas, quae originali earumdem culpae debetur? Vides ergo, quantum late pateat discrimen. Sed cuinam bono, quaeris, tot illa spermatica animalcula? Nempe fluiditati seminis, respondemus cum Vallisnerio, et cum Lister etiam voluptati atque ad venerem incitamento, quamvis ad haec duo non sint omnino necessaria* (Phys. Partic. §. 1330).

tur, ut ipsae neque creari neque infundi corpusculis organicis debeant, nisi haec ad vitales peragendas functiones apta sint et expedita (§. 184.). Cum itaque ejusmodi non fuerint, dum in Protoparentibus adhuc latebant (§. 186.); nihil plane divinae detrahimus sapientiae, si dicamus, omnes humanas mentes non fuisse in Mundi exordiis a Deo conditas, atque in organicis corpusculis per id tempus inclusas.

191. *Inst.* Rerum ordini consentanea fuit simultanea rerum omnium materialium, et corpusculorum organicorum creatio; ergo etiam creatio omnium omnino animarum. (*)

192. ℞. *C. A.* quoad res materiales, et *permisso* quoad corpuscula organica, *N. Cons. et paritatem*. Substantiae omnes corporeae cum ad materialis rerum universitatis ordinem et harmoniam pertineant; apparet sufficiens ratio, cur ipsae, vel etiam, si mavis, organica corpuscula creari compingique in Mundi exordiis potuerint. At deest haec ratio quoad mentes humanas, cum propria corpuscula, quibus ex Naturae institutione sociandae sunt, non fuerint per id tempus ad vitales peragendas functiones idonea et expedita (§. 186.).

193. *Inst.* Rerum ordini consentaneum fuit, ut Mundus hic adspectabilis vel a sui exordio esset *unum ens et systema*; sed ad Mundi unitatem et systema non minus materiales omnes, quam omnes spirituales substantiae confluunt; ergo &c.

194. ℞. *C. maj.*, *D. min.*, ad Mundi unitatem et systema non minus materiales omnes, quam omnes spirituales subsantiæ quoad *genera et species* confluunt, *C.*; quoad omnia et singula *individua* et quidem spiritualia, *N. min.* et *Cons.* Ad unitatem Universi et systema pertinent quidem omnia sive materialium sive spiritualium substantiarum *genera et species*; non tamen omnia omnino et singula earumdem *individua*.

(*) *Leibnitius argumento ex analogia desumpto contendit, quod sicut omnia et singula aliorum animantium corpuscula organica suas animas in Mundi exordiis habuere, ita etiam suas habere debuerunt humana organica corpuscula. Verum quod asserit de animantibus ceteris, nusquam demonstravit. Nos itaque utrumque eodem jure eademque de caussa negamus.*

dua. Nam non negabit Wolfius, hominum animas post dissolutionem corporis ad Deum redire; tum plantas, aliis succedentibus, interire penitus, dum illarum partes dissociantur; numquid propterea adeo hic Mundus abrumpitur, ut non amplius sit *unum ens et systema*?

195. *Inst.* Mundi unitas et systema postulant, quod Mundus ipse sit perfectus; atqui non minus genera et species, quam omnia et singula individua ad Mundi perfectionem conferunt: ergo &c.

196. *N. D. maj.*, Mundi unitas &c., perfectus *perfectione essentiali*, *C.*, etiam *accidentali*, *N.*, *maj.*; *et D. min.*, omnia et singula individua ad *essentialem* Mundi perfectionem conferunt, *N.*, ad *accidentalem*, *C. min.*, *et N. Cons.* Essentialis Mundi perfectio ex generibus et speciebus constituitur, non ex individuis plane omnibus: secus enim vel nihil novi evenire deinceps posset; quod quidem adversaretur ipsius Mundi essentiae, quae, ex doctrina ipsius Wolfii, est *series rerum finitarum simultanearum et successivarum inter se connexarum* (a): vel si quid novi in Mundo accideret, uti accidere passim observamus, ejusdem essentia immutaretur; quod et falsum est et ridiculum. Ceterum si Mundi essentia *successivam* rerum seriem etiam postulat, cur successiva animarum creatio pertinere ad ipsam non poterit?

197. *Inst.* Genera essentialiter constant ex speciebus, species autem ex individuis. Sicuti igitur genera omnia et species, ita etiam omnia et singula individua ad essentialem conferunt Mundi perfectionem.

198. *N. D. A.*, genera essentialiter constant ex aliquibus speciebus, et species ex aliquibus individuis, *C.*, genera essentialiter constant ex omnibus speciebus, et species ex omnibus individuis, *subd.*, si genera et species *logice* considerentur, *C.*, si considerentur *physce*, *N. A.*, *et Cons.* Genera *logice* spectata eas omnes omnino species, etiam mere possibiles complectuntur, quae sub ipsa genera cadunt; et specie continent individua plane omnia, licet mere possibilia quae cadere sub ipsas species possunt. Exemplo sint *substantia*, quae genus est, & *homo*, qui est species. Illa omnes possibiles subtantiarum species, hic autem omnia possibilia homi-

(a) *Theol. nat. part.* 1. §. 834.

hominum individua sub se comprehendit. At si hoc sensu spectentur; ad essentialem Mundi perfectionem non pertinere, nemo negaverit, cui compertum sit, alias plures rerum species, et individua absolute non repugnare. Quod si spectentur *physice*; ut genus subsistat, satis plane est, quod ex aliquibus speciebus constet; unde *substantia* esset genus, quamvis non existeret nisi Deus et materia; ut autem subsistat species, sufficit, quod unum vel alterum individuum existat; hinc Adam et Eva humanam speciem in Mundi exordiis costituebant. Jam vero dum loquimur de essentiali hujus Mundi perfectione, genera et species *physice* spectamus: Poterat igitur esse essentialiter perfectus, quin omnia omnino et singula individua, atque humanas mentes complecteretur.

199. *Dices* cum Wolfio (*a*). Deus per Mundi hujus existentiam finem a se intentum ex asse assequutus est. Igitur opus non habet, ut res novas, novasque mentes humanas recens creet. Tum via simpliciori breviorique idem Deus semper operatur. At simplicior via seu brevior esse videtur simultanea omnium omnino animarum creatio.

200. ℟. *ad* 1. Si finem a se intentum jam per Mundi hujus existentiam ex asse assequutus est Deus, cur ipsum adhuc conservat? aut quorsum nova in dies phaenomena, generationes, effectus contingunt? quomodo rerum successivarum seriem ad ejusdem Mundi essentiam pertinere scribit idem Wolfius? Quod si de sola substantiarum creatione ipse loquitur, adeo ut velit, Deum jam finem, quem per eamdem assequendum sibi proposuerat, obtinuisse, neque ulla opus habere nova cujusvis rei creatione: asserit illud ipsum, quod in controversia est, quodque idcirco non unis asserere verbis, sed momentis comprobare deberet.

201. ℟. *ad* 2. Quaenam sit brevior simpliciorque in Dei operibus via, is solus novit, nempe Deus ipse, cui fines omnes comperti sunt ac modi, quibus obtineri iidem fines possunt. Quare non quid Deus praestare debuerit aut quomodo sed quid reapse, et quomodo fecerit, investigandum a Philosophis est. Porro si rerum ordinem ac statutas a Deo leges consulamus, perspicuum videtur, omnes humanas mentes non fuis-

(*a*) *Theol. nat.* §. 834.

fuisse in Mundi exordiis procreatas. Igitur non simultanea earumdem creatio brevior et simplicior via est ac dici debet.

202. *Ob.* 2. Plura Scripturarum testimonia Leibnitianorum opinioni favere videntur. *Qui vivit in aeternum*, inquit Ecclesiasticus (*a*), *creavit omnia simul*.

2. Scribit Moses (*b*): *viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*. Tum (*c*) *requievit* (Deus) *die septimo ab universo opere, quod patrarat*. Sed nihil deest ei, quod est valde bonum, seu optimum; et qui requiescit, procul dubio non amplius operatur.

3. *Nihil sub sole novum*, inquit Ecclesiastes (*d*). Haec Scripturarum testimonia eum probent, Deum initio temporis omnes humanas mentes codidisse; sequitur, vel admittendum esse præexistentiæ statum, si quidem illae animae suis corpusculis sociatæ non statim fuerunt; vel Leibnitii, Wolfiique sententiam. Non primum illud (§. 161.): ergo hoc alerum.

4. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, ait Deus ad Jobum (*e*). *Behemoth* autem nomine intelligendus videtur Diabolus, cum addatur, quod sit *principium viarum Dei* (*f*). Sed Diabolus fuit conditus in Mundi exordiis: ergo et Jobi anima.

203. ℞. *ad* 1. Objectum Ecclesiastici locum ita explicat S. Gregorius (*g*), ut substantia omnia corporea eodem momento temporis a Deo creata adseratur, quod quidem ad nos non pertinet, qui de tempore creationis animarum hoc loci disputamus. Alii vero *to simul* non identitatem temporis, sed caussæ significare arbitrantur, quasi dixisset Ecclesiasticus: omnia *pariter et aeque* creavit Deus, uti exprimit vox greca *coini*, latine *communiter*. Hæc significatio vocabuli *simul* non raro exhibetur a sacris ipsis Scripturis; legitur enim (*h*): *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*: (*i*) *audite . . . simul in unum dives et pauper . . . Simul insipiens et stultus peribunt*. Hunc ipsum sensum redolere laudatum Ecclesiastici testimonium, ex iis constat, quæ sequuntur, in qui-

(*a*) *cap.* 18. *v.* 1. (*b*) *Genes.* 1. *v.* 31.
(*c*) *ibid. cap.* 2. *v.* 2 (*d*) *cap.* 1. *v.* 10.
(*e*) *cap.* 40. *v.* 10. (*f*) *ibid. v.* 14.
(*g*) *Lib.* 32. *Moral. cap.* 9.
(*h*) *Ps.* 13. *v.* 3. (*i*) *Ps.* 48. *v.* 3. 11.

quibus non de tempore, quo omnia Deus creavit, sed de operibus, quæ ipse fecerat, sermo est. Quamobrem non inde sequitur, Deum omnes mentes humanas in Mundi exordiis procreasse.

204. *ad* 2 Ut Mundus in lucem vix editus esset *valde bonus* sive etiam in suo genere *optimus*, plane sufficit, quod ea omnia, genera nempe et species per id tempus habuerit, quae ad essentialem ejusdem perfectionem spectabant (§. 196.). Haec autem habere poterat, habuitque re ipsa, licet non omnia et singula rerum spiritualium individua, seu mentes humanas complecteretur.

205. Post primam autem rerum molitionem non plane requievit Deus; nam *Pater meus*, inquit Christus (a), *usque modo operatur, et ego operor*; sed tantum a novis rerum generibus ac speciebus condendis abstinuit, uti observat S. Augustinus, scribens (b), *Deum requievisse a condendis generibus creaturae; quia ultra jam non condidit aliqua genera nova*. Non recte igitur ex objecto Geneseos testimonio cum suis Theologis colligit Wolfius (c), quod Deus hodie nil amplius creet quodque creatio animarum in prima statim creatione a Deo facta Scripturae coveniat.

206. ℟. *ad* 3. De rerum naturalium, ac praesertim corporearum vicissitudine loquitur Ecclesiastes, uti ex integro objecto capite manifestum est, atque eamdem esse ait. Eamdem, inquam, non quatenus effectus, qui hic et nunc producitur, sit ille ipse numero, qui antéa productus fuerat, ut per se liquet; bene vero quatenus nullus effectus sit, quem alius ipsi similis haud praecesserit. Hoc autem firmum consistit, quamvis novae hominum animae in dies creentur non enim quidpiam plane novi fit, cum plures aliae humanae mentes ante illas extiterint. Quare objecta Scripturarum testimonia neque præexistentiæ statui, neque Leibnitii Wolfiique opinioni patrocinantur.

207. ℟. *ad* 4. Nomine *Behemoth* designari Diabolum, negant passim Eruditi, et sacrarum Scripturarum Interpretes, si

(a) *Jo.* 5. *v.* 17.
(b) *Lib.* 4. *de Gen. ad lit. n.* 22. *et Epist.* 166. *n.* 12.
(c) *Psych. rat.* §. 705.

si literalis sensus spectetur ; *Bestias* enim significat ; unde verterunt Septuaginta ; *verum utique ecce Bestiae apud te* ; et Paraphrasis chaldaica : *ecce nunc animal , quod feci tecum* . Porro Hebræis , Lyrano , Menochio , aliisque hoc animal est *Elephas* ; quod et probat Augustinus Calmet : ea enim omnia , quæ de Behemot leguntur in citato capite , Elephanti apprime congruunt . Plurali effertur nomine ob maximam ejus molem , quasi dicas belluam multis æquandam ; ac dicitur *principium viarum Dei* ob insignes ejusdem dotes ; est enim Dei opus inter animalia præcipuum , quo non est aliud vel magnitudine , vel robore , vel docilitate præstantius . Sensus ergo est ; *ecce elephas , quem feci tecum* . At sicut hominum , sic etiam brutorum animas plane omnes fuisse in Mundi exordiis procreatas omnino negamus . Tum non eodem temporis momento hominem et bestias Deus condidit , uti ex Moysis narratione edocemur (*a*) . Hinc laudatus Calmet *to tecum* non de tempore intelligit , sed aliis in sensibus , potissimum vero ac si diceretur , *non secus ac te* . Quod si nomine *Behemoth* intelligatur *Diabolus* , adhuc tamen *to tecum* non unitatem temporis ; Angeli enim primo divini opificii die fuerunt conditi , sexto autem Adam et Eva ; sed conditionis similitudinem significat , uti explicat S. Gregorius (*b*) .

QUÆSTIO IX,

Utrum Mentes humanae ex parentibus in filios per traducem propagentur ?

208. *Def.* Mentes humanas ex parentibus *per traducem* propagari perinde est , ac ipsas generari a patribus , et in corpora filiorum traduci .

209. *Schol.* Sententia hæc *Traducianismus* vocatur , et qui ipsam tuentur , *Traduciani* . Quoddam , nescio quod , incorporeum *semen* supponitur , ex quo vel per quod generentur animæ filiorum , ita ut *sicut caro* , inquit S. Bucherius (*c*) , *ex carne patrum , sic animae ex animabus procreentur* ; seu ut ait S. Augustinus (*d*) , *incorporeum semen animae ex quadam*

(*a*) *Genes. cap.* 1.
(*b*) *Lib.* 32. *Moral. cap.* 9.
(*c*) *In cap.* 3. *Genes.* (*d*) *Epistola* 190.

dam occulta et invisibili via seorsum ex patre currat in matrem, cum fit conceptus in foemina.

Sensus quaestionis.

210. An itaque filiorum animae generentur a patribus, atque in illorum corpora traducantur, hoc loci investigamus.

Philosophorum sententiae.

211. Tertullianus, Appollinaris, Luciferiani, et maxima orientalium pars hominum animas *per traducem* propagari ea praesertim de caussa arbitrabantur, quod inde peccati originalis in Adami posteros tranfusionem felicius explicari posse putaverint. Sicuti enim trahitur corpus vitiatum e vitiato Adami corpore, ita etiam anima traheretur vitiata ex vitiata Adami ceterorumque Parentum anima. Nihil definire hac super re ausus est Augustinus ad Renatum (*a*), et ad Optatum scribens (*b*), quamvis in eam propendere videatur sententiam, quod animae *nulla propagatione ducantur*, dum Optatum ipsum hortatur, ut hoc idem, quantum potest, defendat (*c*). Nono reparatae salutis saeculo adhuc sub judice lis erat: nam S. Prudentius. *utrum*, inquit (*d*), *et anima similiter de anima nascatur, magna quaestio est, et a Patribus diu multumque discussa, sed absque certa definitione relicta.* Imo vero elapso saeculo excitatam rursum fuisse Theologos et Philosophos Jenenses inter et Wittebergenses, quorum illi animas creari, unde *Creatiani* sunt dicti, isti vero propagari per traducem opinati sunt, refert Christianus Wolfius (*e*).

Hypothesis.

212. Ex parentibus in filios per traducem non propagantur mentes humanae, si ipsae oriri non possint nisi per creationem.

213. *Schol.* Patet. Parentes enim vim creandi neque habent neque habere possunt (*Ontol.*§. 305.); unde mentes humanae, si nisi per creationem non nascuntur, nequeunt ab ipsis parentibus produci, ac propagari per traducem.

DEM-

(*a*) *Lib.* 1. *de anima n.* 25.

(*b*) *Epist.* 190. *n* 2.

(*c*) *ibid. n.* 13.

(*d*) *Lib. de Praedest. adversus Joannem Erigenam cap.* 16.

(*e*) *Psycol. rat.* §. 699.

LEMMA.

Mentes humanae oriri nisi per creationem non possunt.

214. *Pr.* Mens humana est simplex (§. 14.) : ergo quum producitur, tota, quanta est, producatur est opus. scilicet tota educitur *ex nihilo sui*, ut loqui amant Scholae. Est etiam substantia (§. 7.). Sicuti ergo, ut existat, nullo eget subjecto (*Ontol.* §. 158.); ita quoque antequam existat, in nullo alio subjecto existere debet aut potest. Quare cum existens fit, tota, quanta est, *ex nihilo* etiam *subjecti* educi debet. Sed quod educitur *ex nihilo sui et subjecti*, vere ac proprie creatur (*ibid.* §. 288.). Igitur mens humana oriri nisi per creationem non potest. Et re quidem vera si plane aliunde quam per creationem oriretur; sane ex præexistente aliqua substantia tamquam ex subjecto educi ipsa deberet, ac signate, ad rem praesentem quod spectat, vel ex anima vel ex corpore patris. At non ex anima: secus enim vel tota, vel ejus pars, vel demum nihil in filium traduceretur. Non tota: aliter enim pater animam suam omnino deperderet: tum non posset nisi unicum filium sibi procreare. Non pars: quippe est simplicissima (§. 16.) Nihil igitur; atque ideo anima filii ex patris anima non educitur. Sed neque ex ejus corpore. Cum enim tum ipsum, cum singulae ejus particulae, ac principia omnium prima sint subsantiae materiales; jam filii anima vel materialis esset; quod dici nullatenus potest (§. 23.); vel pater tantam vim haberet, ut attributa materiae et spiritus, seu quae se mutuo destruunt (§. 22.), in una eademque substantia simplici conciliare simul possit; quod plane repugnat (*Ontol.* §. 13.): vel denique pater deberet substantiam corpoream suis attributis spoliare, ipsique ea concedere, quae propria sunt spiritus; quod certe nemo sanus prudensque asseruerit. Etenim quibus demum viribus id pater efficiet? Non equidem corporis: hujus namque vires, siquae sunt, non possunt nisi motum producere; motus autem est substantiae corporeae plane naturalis, quam idcirco suis attributis nequit privare. Tum corpus substantiæ alteri communicare non potest spiritus attributa: siquidem, cum haec sint ipso corpore praestantiora; eisdem non potitur, et aliunde nemo dat quod non habet, nec plus quam habet (*Ontol.* §. 263.). Sed neque viribus animae: haec enim vel omnia omnino sua attributa substantiae corporeae impertiret; quod falsum est; secus namque patris anima po-

st filii generationem suis omnibus attributis careret : vel tantum aliqua; quod rursus est falsum ; aliter enim tum patris anima, cum anima filii manca esset et imperfecta : vel saltem aliquam suorum attributorum partem : quod ridiculum est et commentitium : quippe in ea hypothesi supponeretur, attributa animae patris habere partes; tum post filii procreationem illius attributa minuerentur : ac demum anima filii, quae nonisi partem aliquam attributorum, quae sunt propria spiritus, reciperet, iterum manca esset atque imperfecta : vel denique patris anima omnia attributa spiritus in substantia materiali produceret, quin aliquid attributorum suorum vel minimum deperdat; quod dici non potest : siquidem præstare id nequit, nisi aut per intellectum aut per voluntatem aut Per motum, quem sive immediate per sese, sive partium sui corporis subsidio impertiret materiali substantiae, quae in naturam spiritus converti deberet. Sed quis unquam effutire auserit, nos per unam intellectus cognitionem, aut per voluntatis actum posse, materiam suis attributis spoliare, eaque ipsi concedere, quibus essentia et natura spiritus constituitur ? Motus demum, uti mox observavimus, est materiali substantiae plane naturalis, atque ideo ad illud operis omnino ineptus. Si hactenus dicta attente perpenderis, fatearis oportet, quod mentes humanæ oriri nisi per creationem non possunt *Q. E. P.* (*).

PROPOSITIO.

Mentes humanae ex parentibus in filios per traducem non propagantur.

215. *Pr.* Ex parentibus in filios per traducem non propagantur mentes humanae, si ipsae oriri non possint nisi per crea-

(*) *An Deus possit, nec ne aliquam substantiam materialem physice simplicem nativis materiae attributis affectionibusque privare, subinde vero eidem concedere attributa spiritus quod alibi expendimus* (Phys. Gen. §. 45, 46) *ad rem praesentem non pertinet : quippe imprimis haec Dei operatio creationi aequivaleret, uti contendunt ii ipsi Scotistae qui id fieri a Deo posse arbitrantur. Tum manifestum ex dictis est, hanc ipsam operationem plane excedere vires naturae atque ideo filii animam a Patre non generari. neque propagari per traducem.*

creationem (§. 212.) ; atqui oriri nisi per creationem non possunt (§. 214.) : ergo ex parentibus &c. *Q. E. P.*

216. *Schol.* In hujus assertionis confirmationem addi hoc alterum potest, nempe vel necessario a patribus animae generantur ac traducuntur in filios, vel libere. Non primum : secus enim tot animae perirent, quot vicibus homines conjugii munia incassum obeunt ; quod quidem et iniquum esset et a naturae simplicitate quammaxime alienum. Sed neque alterum : quis enim nesciat, homines quandoque velle filios procreare, quandoque vero nolle, praesertim in adulterinis congressibus, et tamen plane aliter rem se habere?

Traducianorum argumenta refelluntur.

217. *Ob.* 1. Pater generando filium, totum generat hominem ; sed homo ex anima constat et corpore : ergo anima filii generatur a patre, atque in filium ipsum traducitur.

218. ℟. *D. maj.*, pater &c., quoad corpus, *C.*, quoad animam, *N. maj.* ; *et C. min.*, *N. Cons.* Mens humana cum nisi per creationem oriri non possit (§. 214.), nequit a patre, qui creandi vi distituitur, generari.

219. *Inst.* Pater generando filium, totum generationis terminum, scilicet animam et corpus attingat necesse est ; atqui totum generationis terminum pater non attingeret, si alium hominem nonnisi quoad corpus generaret : ergo &c.

220. ℟. *D. maj.*, pater &c. animam quidem *mediate*, *immediate* autem corpus attingat neccesse est, *C.*, *immediate* etiam animam, *N. maj.* ; *et D. min.*, totum generationis terminum pater *immediate* non attingeret, si &c., *C.*, partim *immediate* partimque *mediate* non attingeret, si &c., *N. min. et Cons.* Totum generationis terminum, hoc est, hominem attingit pater ; sed diverso modo, corpus nempe *immediate*, dum ipsum per actionem suam physicam generat, *mediate* autem animam, quatenus generando corpus filii, Deo occasionem praebet, ut illam creet, et corpusculo ad ipsam recipiendam rite, uti par est, disposito infundat.

221. *Inst.* Generatio est *origo viventis a vivente in similitudinem naturae* ; atqui pater nisi etiam animam, quae est praecipua hominis pars, *immediate* attingeret, non esset origo viventis, quod sit ipsi simile : nam solum corpus non est vivens simile patri generanti : ergo &c.

222. ℟. Corpus filii, si seipso spectetur, non est equidem nec dici potest *vivens* patri generanti *simile* ; est tamen, si

si cum eodem conjuncta sit mens rationalis. Jam vero pater est caussa occassionalis animae filii, et conjuctionis ejusdem animae cum filii corpore (§. 220.). Est igitur *origo viventis sibi similis*, proindeque firma consistit laudata generationis definitio, quamvis animam filii non *immediate* attingat: Quod quidem negare jure non possunt Traduciani, quibuscum disputamus: nam, ipsis consentientibus, Beatissima Virgo non generavit nisi Christi corpus; eam tamen esse veram ac proprie dictam ejusdem Matrem non diffitentur.

223. *Inst.* Communis fere est Recentiorum sententia, organicum filii corpusculum antea in fœmina praeexistere (§ 180): hoc itaque pater non generat, atque ideo nisi generaret filii animam, nulla omnino ratione generaret vivens sibi simile. Accedit eodem, quod iisdem verbis praecepit Deus tum brutis animantibus cum hominibus, ut crescerent et multiplicarentur (a). At bruta filios suos etiam quoad animam generant. Postremo non semel filii non modo quoad compagem corporis, sed etiam quoad animi mores ita assimilantur suis patribus, ut hi in illis velut redivivi appareant; sed haec quoad corpus assimilatio argumento est, patrem corpus illud generasse: ergo etc.

224. ℟. *Ad* 1. In laudata Recentiorum hypothesi pater non compingit quidem filii corpusculum: sed tamen per seminalem auram ita evolvit et explicat, ut ipsum ad vitales animalesque peragendas functiones, atque ad recipiendam in se animam aptum reddatur; quod plane sufficit, ut mas et dici possit et sit vera totius filii causa et pater.

225. ℟. *Ad* 2. Brutis aeque atque hominibus praecepit Deus, ut crescerent et multiplicarentur; sed de modo, quo id fieret, ne verbum quidem. Quare sive per traducem propagentur animae, sive non, perinde omnino est, quantum ad objectum Geneseos locum pertinet. Porro brutorum anima vel est substantia simplex, et quodammodo spiritualis, vel plane materialis atque corporea. Si hoc alterum; nihil omnino refert, quod per traducem propagetur: nos enim de mente humana, quæ spiritualis est, hoc loci disputamus. Sin autem primum illud; inficiamur, brutinam animam generari a suis parentibus. Dici ad summum posset, ipsam sed a so-
lo

(a) *Genes. cap.* 1.

lo Deo ornatam vel ornandam vi eliciendi unas sensationes in filiorum corpora a parentibus traduci, quemadmodum fieri absolute posse alibi dicemus (*Appendice II. ad Theol. Nat.* §. 654.) Verum moderatus hujus generis traducianismus, qui etiam menti humanæ non absolute repugnare videtur, a Traducianistarum opinione quam maxime discriminatur.

226. *ad* 3. Quamvis filiorum animi interdum quoad mores parentibus suis assimilentur; non tamen sequitur, ipsos propagari per traducem. Hæc enim morum assimilatio derivari jure merito potest, ex quo corporis temperamentum in animam ejusque propensiones maxime valeat, in temperamentum autem corporis filiorum plurimum influat maris actio et phantasia. Quid vero si assimilatio illa potissimum ab educatione, et ex majorum exemplis oriri diceretur? Ceterum si filiorum animæ a patribus generantur, cur eorumdem virtutibus exornatæ, aut infectæ vitiis non semper nascuntur?

227. *Ob.* 2. Si animae ex parentibus in filios non propagantur, profecto nasci non possent originali culpa infectae: non enim ex vitiata essent Adami massa, sed intactae e Dei manu prodirent, nisi dixeris, Deum ipsum esse unicam in Adae posteris tanti criminis caussam; quod vel cogitare nefas.

228. ℞. Ad modum nos provocant Adversarii, quo transfunditur ad Adami posteros originale peccatum. Res sane magni momenti, quae Ecclesiae Patrum, ac Theologorum diu torsit, atque etiam modo torquet ingenia. Ad nostrum institutum quod attinet, dici posset, hujus culpae existentiam, ejusque in omnes omnino homines transfusionem ex sacris Literis, ex Conciliis, atque ex Sanctis Patribus certo constare; quidquid sit de modo, quo id fiat. Nihilo tamen minus uberioris doctrinae gratia duas, quas probabiliores existimamus, in medium proferimus hac super re sententias. Ea de caussa filiorum animæ contrahunt originalem culpam, quod corporibus per effrenem concupiscentiam, qua generantur vitiatis infunduntur; eadem fere ratione, qua corrumpitur purus liquor, si in vitiato ac foedo vase constituatur. Hanc esse S. Augustini mentem, pluribus ostendere conatus est P. Laurentius Berti, quamvis rem hanc non definisse videatur S. Doctor, dum illam se nescire fatetur (*a*). Altera sententia est Joannis Dcus Scoti, qui putat (*b*), hominem contra-

(*a*) *Lib.* 5. *contra Julianum cap.* 3. *n.* 17.
(*b*) *In* 2. *dist.* 32. *q. unica n.* 12.

here originis noxam, quatenus naturali via, proindeque concupiscibiliter generatus, atque ex corpore et anima coalescens fit Adae praevaricatoris filius. Hoc modo omnes omnino homines in Adamo tanquam in morali capite peccaverunt. Quod quidem ut intelligi facilius possit, supremam absolutamque Dei pactionem intercessisse in hoc negocio, subdunt P. Frassen, Tournely, l' Herminier, aliique bene multi, qua statutum ab ipso fuerat, ut omnium voluntates in voluntate Adami *moraliter* ita continerentur, quod si ille in accepta justitia perseverasset, ipsa quoque ornati fuissent ejusdem posteri; si non perseverasset, hi etiam eadem carerent, et nascerentur peccato infecti. Postrema hæc opinio est fortasse altera probabilior. Sed viderint Theologi. Illud ad minus certum videtur, in utraque hac sententia explicari aliqua ratione posse noxae originalis transfusionem, quin vel adstruatur animarum per traducem propagatio, vel Deus etiam minimum culpetur. Quamvis enim dicamus, animas a Deo successive creari; attamen verum semper est, quod corporibus per effrenem concupiscentiam vitiatis infunduntur quodque cum ipsis conjunctæ filios Adami, et quidem Adami prævaricatoris constituunt. Porro Adam fuit, qui concupiscentiam effrenem sibi suisque posteris comparavit, quique seipsum reddidit prævaricatorem omnium filiorum suorum patrem. Itaque Deus in hac nostra hypothesi dici peccati originalis in Adami posteris caussa nec debet nec potest. Ceterum explicent, quæso, Traduciani, quomodo animæ filiorum Adami vel parentum fidelium peccatum originale contraxerint? Ille per pœnitentiam, isti vero per sacrum regenerationis lavacrum mundati jam antea fuerunt. Si igitur neque in eorumdem corpore, neque in anima, neque in semine, qualecumque confingatur, ulla fuit, dum filios procreabant, originis culpa; profecto intelligi nequit quamobrem animæ ab ipsis generatæ et propagatæ per traducem culpa illa infectæ nascerentur.

229. *Ist.* In Creatianorum hypothesi solus Deus est animæ conditor, auctorque unionis ejusdem animæ cum corpore, ob quam verus perfectusque Adami filius habetur. Si itaque homo peccatum contrahit; quatenus fit Adæ filius, Deus ipse dici debet ejusdem peccati in Adami posteris caussa. 2. In hac eadem hypothesi Deus esset cum adulteris et fornicariis cooperator, dum conceptis fœtibus suas animas adne-

adnectit, inquit Apollinaris. 3. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Inquit Job (*a*). Anima igitur per originis peccatum immunda ex immundo patris semine concipitur et generatur. 4. In Libro Genesis (*b*) hæc leguntur: *omnes animae, quae ... egressae sunt de femore illius* (nempe Jacob) ... *sexaginta sex*. At quomodo *egressae* de femore, nisi fuissent a Jacob per traducem propagatæ?

230. ℟. *ad* 1. Anima non contrahit originale peccatum, quatenus est opus Dei: siquidem purissima de manu factoris sui egreditur; sed quatenus unita cum corpore per concupiscentiam generato filium Adami, et quidem prævaricatoris constituit (§. 228.). Neque vero hæc unio suapte natura, sed *per accidens* tantum, ut ajunt Scholæ, seu per culpam humani generis secum fert peccati maculam: nam eadem ipsa unio in felicissimo innocentiæ statu sine ulla omnino culpa facta fuisset. Quare si in præsenti naturæ lapsæ statu huic unioni culpa adnexa est, homo sibi imputet, non Deum incuset: nam *praevaricatio hominum*, inquit ad rem nostram S. Prosper (*c*), *dispositae a saeculis creationis ordinem turbare non potuit*.

231. ℟. *ad* 2. Duo in adulterinis conceptibus spectanda sunt, naturalis actio generationis humanae, et divinæ legis in eo perficiendo opere violatio. Prior illa bona est, ad ipsam concurrit bonus Deus, indeque juxta statutum a se ordinem corpusculo recte, ut par est, disposito atque evoluto suam adnectit animam. Altera est mala, ad quam Deus non est cooperator. Nempe non magis absurdum est quod Deus adulterinis conceptibus inspiret animas, quam quod terra gremio suo confoveat semina, quæ sator furto sustulerit, vel immunda projecerit manu (*d*). Ceterum non negabit Apollinaris, Deum sicuti ad alias omnes creaturarum actiones, ita etiam ad illam concurrere, qua non modo corpus, sed anima quoque filii per adulterinos congressus juxta ejusdem doctrinam generatur. An ideo culpandus idem Deus? non sane.

(*a*) *Cap.* 14. *v.* 4. (*b*) *Cap.* 46. *v.* 26.

(*c*) *Ad* 4. *Vincentii objectionem*.

(*d*) *S. Hieronymus lib.* 3. *adversus Ruffinum*.

232. ℟. *ad* 3. Per *immundum conceptum*, de quo S. Job; totus ipse homo intelligendus est; per *semen* autem ipsum humanum genus. Sensus ergo est, hominem nasci peccati originalis sorde infectum, eo quod ex infecto humano genere quasi ex immunda radice pullulaverit.

233. ℟. *ad* 4. *Animam* sumi quandoque in Scripturis pro *homine*, ex capite 5. Levitici, et ex 14. Geneseos manifestum est. Quare objectus locus hoc unum insinuat, nempe sexaginta sex homines fuisse, qui a Jacob, ejusque filiis geniti ingressi sunt in Ægyptum.

Ex iis, quæ hactenus disseruimus, quædam sequuntur, quæ nostram quoad humanæ mentis originem sententiam exprimunt.

234. *Corol.* I. Mentes humanae a Deo creantur. Non enim sunt Deus ipse, vel ejus pars, attributum aut modificatio (§. 143); neque particulæ mundanæ animae (§. 158.); neque demum propagantur per traducem (§. 215.), sed per creationem oriuntur (§. 214.). At creatio esse non potest nisi omnipotentis Dei opus: ergo a Deo creantur.

235. *Corol.* II. Easdem creat Deus in corpusculis organicis. Nam non in statu præexistentiæ (§. 161.), neque in matris utero, ubi sibi compingant corpus, in quo deinceps hospitentur et vivant (§. 185.). Superest ergo, ut ipsas in organicis corpusculis creet.

236. *Corol.* III. Hæc denique mentium humanarum in corpusculis organicis creatio non eodem momento temporis in Mundi exordiis facta fuit (§. 187.), sed successiva est. Non enim creantur, nisi quum corpuscula organica ad vitales peragendas functiones apta sunt et expedita (§. 184.); aliunde vero apta ad id operis non fuerunt, dum sive in lumbis Adæ, sive in Evæ ovariis adhuc delitescebant (§. 186.), sed tantum successive, prout nempe per seminalem auram fœcundantur. Consentanea hæc sunt definitioni Synodus Lateranensis V. sub Leone X., in qua sancitum fuit (*a*), animam rationalem *pro corporum, quibus infunditur, multitudine, singulariter esse multiplicabilem, et multiplicatam, et multiplicandam*.

237.

(*a*) *Sess.* 8.

237. *Schol.* Haec facili negotio concedunt, melioris notae Philosophi. Maximum tamen apud ipsos viget dissidium quoad tempus, quo sicut corpusculum organicum ad functiones suas peragendas aptum redditur, ita etiam quo eidem infunditur anima rationalis. Foetus, quamdiu in matris utero detinentur, animam non habere, putavit Joannes Archiater Pragensis, quem nonnulli Lovanienses Theologi sequuti sunt. At ferenda haud est haec sententia, cum Innocentius XI. sequentem propositionem damnaverit *videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, quum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nulla abortu homicidium committi*. Mares animam recipere circa quadragesimum a conceptione diem, foeminas vero circa nonagesimum, est fere communis Peripateticorum opinio, quam nonnulli adscribunt Aristoteli, licet plane immerito, uti observat P. Hieronymus Florentinius (*a*). Mares aeque ac foeminas quadragesimo die post conceptionem primum habere animam, putant alii; trigesimo quinto, Cardenas; alii trigesimo; mares quidem trigesimo, sed quadragesimo foeminas vel ad summum quadragesimo quinto, alii; mares quandoque vigesimo quinto, Albertus Magnus; quintodecimo tam mares quam foeminas, Thomas Tomai (*b*); quidam astrologi, decimo; Ferdinandus Mena, Petrus Garzia Prosper Martiani, et Ferrulius, septimo; Hippocrates, sexto; tertio Thomas Fieno; Macrobius, sex horis; tribus vero, alii; ipso tandem conceptionis tempore, Gassendus, Paullus Zacchi (*), Haller (**), Vopiscus, Pemplius, Mirindol; Sen-

(*a*) *Homo dubius seu de Baptismate abortivorum pia Prothesis*.

(*b*) *Idea del Giardino del Mondo cap.* 9.

(*) *In secundo sui Operis tomo docet*, foetum humanum nullo umquam tempore ab alia anima regi, quam a rationali, eamque in principio commistionis seminum (*loquitur in sententia Aristidis, aliorumque*), et conceptionis eorum, a Deo creatam et infusam recipere. *Aliter docuerat in tomo primo*.

(**) *Interrogatus per epistolam a P. Deodato a Cuneo, respondit, tum foetum recipere animam*, quando corculum incipit moveri; *movetur autem statim a conceptione*.

Sennertus, Felix Siculus, Bartholomæus Corte, Vaterus; Michael Albertus, Auctor *Artis dirigendae mentis* (b), P. Deodatus a Cuneo (a), aliique bene multi, quorum judicio *conceptio et animatio* idem plane sunt. Nonnullas subjicimus observationes, ut aliqua saltem probabilis ferri possit hac super re sententia. Itaque vitales motus deprehendit Hippocrates in abortu sex dierum, quem coram ipso effudit mulier saltatrix. Quarto post foecundationem die motum rhithmicum in quodam ovulo animadverterunt Ulysses Aldourandi, et Harvaeus; die autem tertio Thomas Fieno. P. Hieronymus Florentinius, quem Universitates Sorbonica, Salmanticensis, Viennensis, Rhemensis, ac Pragensis plurimum commendarunt, scribit, abortiri foetus etiam cum magnitudinem habent *sive grani hordeacei aut minoris phaselli, sive majoris formicae aut nucis avellanae, sive apis aut grandioris muscae, sive etiam minimi digiti*; qui omnes rhithmica pulsatione donantur. His plane similes descriptos habes penes P. Deodatum a Cuneo (c). Consulantur etiam D. Franciscus Emmanuel Cangiamila in Opere, cui titulus *Embriologia sacra*, et Opusculum inscriptum, *Regolamenti dal Re Carlo Infante di Spagna dati nel Regno di Sicilia &c.*, editum Neapoli an. 1758. Ex hisce porro observationibus constat, plures opiniones superius recitatas esse plane falsas. Non costat tamen; animam creari infundique ipso conceptionis corporis momento: laudatae siquidem observationes nonnisi post aliquod a conceptione tempus fuerunt institutae. Equidem praecontenta in ovariis germina animalia ob conceptionem excitantur ad internos motus, atque incipiunt evolvi; aliquo nihilominus opus habent temporis spatio, ut eam assequantur perfectionem, quam postulat infusio animae, quaeque fortasse tunc solum adest, quum ovulum foecundatum evulsumque ex ovario descenderit in uterum per tubam fallopianam, ibique fixerit radices suas: quandoquidem germen animale nonnisi hinc temporis dici potest proprie vivere per intus assumptum alimentum. Quapropter animae creatio et infusio paullo post conceptionem fieri videtur.

(a) *Tom. 1. pag. 359.*

(b) *Notizie fisico-storico-morali.*

(c) *Opere citato Tract. 1. cap. 1.*

detur. Nostra haec opinio apprime congruit cum Lege a Deo sancita (a): *qui percusserit mulierem praegnantem, et illa abortum fecerit, si foetus erat formatus, dabit animam pro anima; si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia*: quae quidem *formatio* intelligi potest usurpata pro laudata foetus perfectione ad animae infusionem requisita, nec multo tempore distat a prima ejusdem foetus conceptione. Utinam haec opinio vigeret ubique gentium, potissimum vero apud Medicos et Animarum Curatores: hinc enim fieret, ut et matres quo ad foetus recens conceptos sint cautiores; et Medici in extrahendis per partus caesareos foetibus diligentiam omnem omneque studium adhibeant; et sacri demum Pastores extractos conceptus saltem sub conditione tingant et abluant salutari Baptismatis lavacro.

CAPUT V.

De Animarum multiplicitate.

QUÆSTIO X.

Utrum in omnibus diversisque hominibus nonnisi una numero sit mens humana?

238. *Schol.* Unam numero animam in omnibus omnino diversisque hominibus esse, perinde est, ac si principium, quod in Petro cogitat, illud ipsum sit, quod cogitat in Paullo, ceteriaque, ita ut quilibet hominum non peculiare sibique proprium, sed commune omnibus habeat suarum cogitationum principium. An porro ita res sit, nec ne, ad trutinam limamque hoc loci revocamus.

Doctrina Philosoforum.

239. Philosophi Arabes, quos inter Averroes, duplicem in quolibet homine esse intellectum, *passivum* sive *patientem* vel etiam *possibilem*, *et activum* sive *agentem*, opinati sunt. Posterior ita irradiat materiales imagines seu species ab obiectis externis depictas in cerebro, ut eas reddat spirituales; prior vero has ipsas species jam spirituales effectas in se recipit, receptasque cognoscit. Uterque est subsantia, atque ideo alter ab altero *realiter realissime*, ut inquiunt Scholae (*Ontol.* §. 121.), distinguitur. *Patiens* est multiplex, prout homi-

(a) *Exodi cap.* 21.

homines multi sunt; at nonnisi unus numero *agens* (*a*), Quid autem sit agens hic intellectus, non plane inter se conveniunt. Quidam putant creatum esse; sed esse ipsum Deum (quod universim jam refutavimus *q.* 4.), Albumaron ac Themistius (*b*), quibus Aristotilem, qui Deum fecit *mentem Mundum informantem*, addunt Walchius (*c*), et Petrus Bayle (*d*). Quidquid tamen hac de re sit, sententiam de una numero in cunctis hominibus rationali anima damnavit Synodus Lateranensis V. sub Leone X. (*e*).

P R O P O S I T I O.

In omnibus diversisque hominibus non una numero est mens humana.

240. *Pr.* Mens humana est simplicissima (§. 16.). Dum igitur operatur, tota operatur; tota est, ubi est; tota denique ea omnia habet, quæ habet. Porro experientia compertum est et exploratum, unum hominem cognoscere interdum rem aliquam, quam alter non cognoscit. Si ergo una numero anima esset in omnibus, tota rem illam cognosceret simul et non cognosceret, haberet unius ejusdemque rei notitiam simul et non haberet, quod quidem manifestam contradictionem involvit. Hoc idem dicendum de amore, de odio, deque aliis ceteris immanentibus ejusdem mentis operationibus affectionibusque (*). Quare in omnibus diversisque &c. *Q. E. P.*

241. *Schol.* Nihil porro moramur duplicem Averroistarum intellectum (§. 239.). Quis enim hoc commentum non rideat? Ceterum alio in loco de re persimili, ubi nempe de idearum nostrarum origine, disputabimus. Hoc unum in rerum praesentia observamus, intellectum agentem, si qui esset, debere res cognoscere: nam secus ne nomen quidem intellectus sibi promeretur. At si cognoscit, redit, quod antea exposuimus (§. 240.), invictissimum argumentum.

(*a*) *Apud Jo. Picum in Apologia pag.* 45.

(*b*) *Apud eumdem pag.* 49.

(*c*) *De Atheismo Aristotelis in Parergis accademicis cap.* 3.

(*d*) *Diction. etc. Art.* Aristoteles et Averroes.

(*e*) *Sess.* 8.

(*) *Scilicet in Adversariorum hypothesi eadem numero anima esset justa et injusta, pia et impia, sancta et peccatrix.*

242. *Ob.* Idem nutritius succus diversas, quin et oppositas modificationes in eadem planta interdum subit; tum idem flatus in diversis organorum tubis diversos edit sonos; idque ob diversas, quae sive in plantae partibus sive in organorum tubis sunt, dispositiones. Cur ergo eadem anima non poterit in diversis hominibus, in quibus aliqua habetur sensuum, phantasmatum, similium diversitas, diversas imo et oppositas actiones sibi cudere? 2. Idem sol, et quidem eadem virtute liquefacit cera et non indurat, indurat lutum et non liquefacit; quæ quidem contradictoria esse videntur.

3. Deus, qui est plane unus ac simplicissimus, dum cum creaturis ad operandum concurrit, diversos quin et oppositos effectus in iisdem producit. Cur non idem dicendum de anima?

243. ℞. *ad* 1. Objectus nutritius succus, qui in eadem plata diversas modificationes subit, non est idem *numero*, sed tantum *specie*. Nam si eadem *numero* particula spectetur, falsum est, ipsam diversas illas modificationes eodem tempore subire ac praeseferre. At mens humana, ex Adversariorum doctrina, non esset nisi una *numero* ac simplicissima.

244. ℞. *ad* 2. Imprimis Solis radii, qui eodem tempore liquefaciunt ceram et lutum indurant, sunt a se invicem distincti *numero*. Tum quamvis ejusdem Solis virtus et actio una sit atque eadem; utramque tamen non *immanens* est, sed *transiens* (*Ontol.* §. 253.); unde oppositio non in Sole est, sed in ejus tantum effectibus, inde orta, quod cera et lutum ob diversas dispositiones, quas in se habent, diversimode ab eadem virtute et actione afficiantur. At vero anima, de qua disputatio est, supponitur una *numero*, et solas immanentes ejusdem actiones hoc loci spectamus.

245. ℞. *ad* 3. Actiones quoque, quibus Deus operatur in creaturis, *transeuntes* sunt; unde oppositio nonnisi in effectibus, quos extra se producit, est posita, non autem in Deo ipso, quasi operetur simul et non operetur, velit simul rem aliquam et eamdem ipsam non velit; quod tamen reapse eveniret, si mens humana una numero esset in omnibus (§. 240.).

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Utrum in quolibet homine plures numero animae simul vel successive existant?

246. *Animad.* Operationes, quas homines eliciunt, triplicis sunt generis, *rationales*, veluti intellectio, judicium, et ratiocinatio; *sensitivae*, ceu visio, auditio, cetereae, quæ immediata sensuum ope a nobis fiunt; ac demum *vegetativae* uti digestio, nutritio, accretio, generatio, similes, quae ad corporis vitam et conservationem pertinent. Hoc triplex operationum genus aliquod habere debet sui principium, quod *animam* vocamus; effectus enim sine ulla omnino sui caussa esse non possunt (*Ontol.* §. 261.). Hinc

247. *Def. Anima rationalis* illa dicitur, a qua rationales; *sensitiva*, a qua sensitivae; *vegetativa* denique a qua vegetativae hominis operationes procedunt.

248. *Schol.* Ex quo triplex illud operationum genus in homine sit, et aliquod habere sui principium seu caussam debeat (§. 246.); non sequitur necessario, triplicem quoque in quovis homine esse animam, *rationalem*, *sensitivam*, *et vegetativam*, quarum una ab altera realiter distincta sit ac diversa: hoc enim est praesentis hujus disputationis caput et summa. Sit igitur

Sensus quaestionis.

249. Duo hoc loci investiganda a nobis sunt; 1. num in quolibet homine plures numero animae simul existant, quae sint realiter inter se distinctae; an potius unica tantum, eaque rationalis, si quidem purus ac putus corporis mechanismus excipiatur? 2. an saltem successive, ita ut foetus primum habeat animam vegetativam, sensitivam deinde, ac tandem rationalem?

Opinionum historia.

250. Ad primam hujus disputationis partem quod attinet, vulgatissimum est, Galenum triplicem in quovis homine asseruisse animam, et quidem rationalem in cerebro, in corde sensitivam, et vegetativam in hepate collocasse. Hoc idem quod simultaneam animarum multiplicitatem senserunt Zabarella (*a*), et Henricus Gandavensis (*b*), qui vegetativam dixerunt

(*a*) *Lib. de facultatibus animae cap.* 8.
(*b*) *In* 7. *Phys. q.* 8.

xerunt *materiem* sensitivae, hanc intellectivae *materiem*, intellectivam postremo *actum*: Quae de Galeno diximus, Platoni, adscribit P. Ferrari (*a*). Verum alii putant, hunc Philosophum in *Alcibiade*, et in *Phaedone* vitam et censum a substantia quadam corpus inter et mentem media derivare (*Annot. ad* §. 157.). Hinc duplex tantum esset anima, altera *rationalis*, *sensitiva* seu *media* altera, quam adprobarunt Platonici apud Cudworthum (*b*), Philo (*c*), Theophrastus Paracelsus (*d*), Jo. Baptista Helmontius (*e*), Cudvorthus ipse, Jo. Clericus, Moshemius (*f*), Gnostici apud Epiphanium (*g*), et Jamblicus (*h*). Hanc esse mosaicam et Kabbalisticam doctrinam contendit Jo. Comenius (*i*), qui post Kabbalistas quosdam asserit, *mentem* a Deo esse, sed *animam* mediam ex præexistente Mundi spiritu; quod etiam Fluddi opinatio est, et Campanellae. Tandem Manichaei binas rationales animas, bonam unam a Deo bono, alteram vero malam a malo Deo creatas in singulis hominibus collocarunt; quem quidem errorem proscripsit octava Oecumenica Synodus (*k*).

251. Ad alteram quod pertinet ejusdem controversiae partem, solemnis est apud Thomistas opinio, humanum foetum primo anima *vegetativa* regi, *sensitiva* subinde, ac demum *rationali*. Per adventum secundae prior illa destruitur, omnesque ejus vices gerit sensitiva, quae et ipsa destruitur per adventum postremae, ita ut rationalis tum vegetativae cum sensitivae officiis omnibus tandem perfungatur. Philosophi ceteri unicam tantum in quolibet homine, quoad vivit, astruunt animam proprie dictam, eamque rationalem.

252.

(*a*) *Phys. part.* 3. *disput.* 1. *q.* 4.
(*b*) *System. intellect.*
(*c*) *De opificio Mundi*.
(*d*) *De creatione hominis*.
(*e*) *De sede animae n.* 17.
(*f*) *In Cudvortum*.
(*g*) *Haeresi* 26.
(*h*) *De Misteriis Ægypt.* §. 1. *cap.* 17.
(*i*) *Phys. cap.* 11.
(*k*) *Sess.* 10. *cap.* 11.

252. *Animad.* Vegetativas humani corporis functiones non ab una eademque caussa derivant Philosophi, sed alii a partium viribus quibusdam materiae propriis instructarum mechanismo; ab anima rationali alii; alii a sensitiva, quae a rationali distincta sit; ac demum alii ab anima vegetativa, quae a laudatis caussis sit diversa. In posteriori tantum opinione anima vegetativa, de qua disputamus, firma subsisteret, uti perspicuum per se est (§. 249.)

Hypothesis.

253. Nihil adstrui prudenter potest, nisi aliqua praesto sit ad illud ipsum adstruendum necessitas. Patet: aliter enim entia sine necessitate, atque ideo sine ulla ratione sufficiente multiplicarentur; quod est et esse debet a viro Philosopho plane alienum (*Ontol.* §. 214.)

LEMMA

Nulla est necessitas adstruendi simultaneam vel successivam plurium numero animarum in quolibet homine existentiam.

254. *Pr. quoad* 1. *partem*. Vegetativæ plantarum functiones per solas mechanicas materiae leges (quidquid nonnulli in contrarium sentiant) explicari quam facile possunt, quatenus nempe in organicis illis corporibus varientur

Intervalla, viae, connexus, pondera, plagae,
Concursus, motus, ordo, positura, figura;

uti luculenter ostendunt recentiores Philosophi. Porro vegetativæ humani corporis actiones sunt iis plane similes, quibus plantae donantur. Cum igitur ex iisdem similibusve effectibus eædem vel similes caussæ conjiciendæ sint, ut est vulgatissima philosophandi lex; nulla apparet necessitas, cur præter partium ejusdem corporis viribus quibusdam materiæ propriis instructarum mechanismum, vegetativa adstruatur anima, quæ illarum operationum fons sit et origo. Quid vero, si corporis nostri organa sint organis plantarum longe longeque mirabiliora? Hinc præcipuas, ex quibus dimanant ceteræ, functiones vegetativas, *digestionem* nempe, *cordis motum*, *sanguinis* per totum corpus *circulationem*, *nutritionem*, *accretionem*, et *respirationem* a puro puto corporis mechanismo pendere, passim ostendunt Anatomici accuratissimi, nosque alibi ostendemus (*Phys. Partic.* §. 1214.

et

et seq.), *ut alio in loco opportunius exponemus* (Phys. Partic. §. 1209.) (*).

255. Porro sensationes explicari per solam rationalem animam æque facile possunt. Ipsa enim circa res sensibiles reflectit judicat ratiocinatur. Aliquam igitur de iisdem ideam habet ac notionem; quod perinde est ac illas ipsas percipere sensuum ope, atque ideo sensationes elicere (*Log.* §. 16.). Tum si anima *media*, per Adversarios, sentit; cur non etiam *rationalis*; quæ est *media* illa longe nobilior atque perfactior? Nam cetera sunt paria. Si enim *rationalis* est spiritualis, et simplex, simplex quoque et spiritualis sit oportet anima *media*, quæ sentit (*q.* 1.). Si *media* arctissime cum corpore unita est, æque arctissime cum eodem conjuncta est *rationalis*, adeo ut hæc sit ac dici debeat *essentialis* illius *forma*, atque ex utraque hac substantia emergat mirabile illud compositum, quod *hominem* adpellamus. Postremo intima uniuscujusque experientia compertum est; quod si rationalis anima rerum abstractarum contemplationi defixa sit, nulla in eo homine habetur ad sensibilium rerum impressiones advertentia, sensatio nulla; et si corporei sensus satis valide concutiantur, anima rationalis intellectuales operationes, quibus perfunctorie vacat, interdum continuo deserit, seseque ad impressiones in corpore factas convertit. Cur autem, quæso, isthæc, si sensationes non a rationali anima, sed a sensitiva, quæ ab illa distincta sit ac diversa, procederent? Nonne in priori hypothesi deberet sensitiva suas operationes elicere, et suas in altera rationalis anima? Cur utraque eodem tempore, dum omnia ad id operis præsto sunt, offi-

---

(*) *Quidam Recentiores, inter quos Monteirus* (Phys. vivent. part. 1. n. 540. et seqq.), *vegetativas humani corporis functiones et ab ejusdem mechanismo et a rationali anima pendere opinati sunt. Quis enim nesciat, positis quibusdam in anima affectionibus commotionibusque, quasdam etiam in corpore mutationes evenire, adeo ut ex invidia marcescat, in prospectu periculi tremat, ex injuriae perceptione sanguinis de repente rarefiat ac diffundatur, quin imo tanta quandoque fuerit corporis axagitatio, ut homines aliqui etiam morerentur? Quidquid tamen hac de re sit, in hac quoque sententia anima vegetativa plane rejicitur.*

officio suo non fungitur? nisi quod etiam sensationes ab una eademque rationali anima fiunt. Cum itaque vegetativæ hominis operationes per corporis mechanismum, sensitivæ autem per rationalem ejusdem hominis animam explicari commode possint; nulla est necessitas adstruendi simultaneam plurium numero animarum in quolibet homine existentiam. *Q. E.* 1. *pars*.

256. *Pr. quod* 2. *partem; nempe quoad successivam plurium numero animarum in eodem homine existentiam*. Necesse non est, ut anima vegetativa sensitivam in embryone præcedat. Nam vel primis a fœcundatione diebus per solum partium mechanismum haberi potest vegetatio. Et sane evoluto et explicato per seminalem auram ovulo, deductoque in uterum, mater per venam umblicalem alimentum jam digestum ac præparatum in corpusculum fœtus intrudit, quod deinde ubique membrorum diffunditur, et nutritionem accretionemque omnibus omnino et singulis ejusdem corpusculi partibus affert (*); non secus ac cibi, quos sumunt homines in lucem editi, et in ventriculo digerunt. Imo vero plane felicius: fœtus enim confovetur calore parentis suæ, ac dilatatur, velutque per vitam matris vivit. Plantarum ortus ac vegetatio, quæ per solum mechanismum perficitur, rem hanc mirum in modum confirmat.

257. Sed neque necesse est, ut anima sensitiva praecedat rationalem. Hacc enim quum adest, ipsis Adversariis concedentibus (§. 251.), etiam sensitivas operationes elicit. Cur ergo statim ac foetus ad functiones illas aptus est et expeditus, anima rationalis condenda non est, et cum eodem foetu copulanda? quorsum creanda est sensitiva, in nihilum mox abitura? An forte quod foetus nisi ad sensitivas functiones idoneus per id tempus non sit? Verum nonne eodem jure eademque ratione dici posset et deberet cum Joanne Archiatro Pragensi (§. 237.), animam rationalem corpusculis nisi in lucem editis, imo nisi post quintum vel sextum a nativitate

(*) *Postremis mensibus foetum etiam assumpto per os liquido blando et glutinoso nutriri putat Heiserus* (Compendio anatom. n. 245.); *sed negat Hoffmannus* (lib. 1. sect. 2. cap. 13. §. 17.) *ut alio in loco opportunius exponemus* (*Phys. Partic.* §. 1209.).

tivitate annum non infundi, cum tantum per id tempus incipiant homines suas operationes rationales elicere? Accedit, quod melioris notæ Philosophi vitales et sensitivas fœtus actiones velut signum reputant existentiæ rationalis animæ in eodem fœtu (*ibid.*); quin et Rituale ipsum Romanum, dum sub Titulo *de baptizandis parvulis* universim præcipit; quod *si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur, ac si vivus fuerit baptizetur*. Hanc itaque fœtus vitam indicio esse putat, quod rationalis anima in fœtu ipso existat. Si ergo necesse non est, ut anima vegetativa sensitivam, et sensitiva rationalem præcedat; nulla quoque est necessitas adstruendi successivam plurium numero animarum in quolibet homine existentiam *Q. E.* 2. *pars*.

PROPOSITIO.

Simultanea vel successiva plurium numero animarum in quolibet homine existentia adstrui prudenter non potest.

258. *Pr.* Nihil adstrui prudenter potest, nisi aliqua præsto sit ad illud ipsum adstruendum necessitas (§. 253.): atqui nulla est necessitas adstruendi simultaneam vel successivam plurium numero animarum in quolibet homine existentiam (§. 254. *et seqq.*): ergo simultanea vel successiva plurium &c. *Q. E. P.*

259. *Corol.* In quolibet igitur homine, quoad vivit, nonnisi unica proprie dicta, eaque rationalis existit anima.

Satisfit objectionibus.

260. *Ob.* 1. *contra primam propositionis partem*. Diversi effectus diversas caussas sibi postulant; atqui vegetativæ, sensitivæ, et rationales hominis operationes sunt effectus diversi: ergo &c.

261. ℟. *D. maj.*; diversi effectus &c., si ab una eademque caussa proficisci non possint, *C.*, secus *N. maj.*; *et D. min.*, vegetativæ &c. ita tamen ut vegetativæ ab humani corporis mechanismo, sensitivæ autem ab anima rationali procedant, *C.*, secus, *N. min.*, *et Cons.* In ea tantum hypothesi effectuum diversitas diversitatem caussarum necessario sibi vindicat, in qua effectus illi ab una eademque caussa produci non possunt; aliter enim caussae sine necessitate multiplicarentur. Jam vero vegetativae hominis actiones a solo partium sui corporis mechanismo (§. 254.), sensitivae autem ab anima rationali produci possunt ac re ipsa producuntur (§. 255.).

262.

262. *Inst.* Sensationes intenduntur ac remittuntur : ergo sunt mutationes rei, quae intendi ac remitti potest. Atqui anima rationalis, cum spiritualis sit ac simplicissima, intendi nequit ac remitti : ergo sensationes ab anima rationali non procedunt.

263. R). *D. A.* sensationes intenduntur ac remittuntur, hoc est, modo vividiores sunt modoque minus vividae, *C.*, secus *N. A.*; et *D. Cons.*, sunt mutationes rei, quae quoad *propriam entitatem*, ut ajunt, intendi ac remitti potest, *N.*, quae quoad *suas operationes* intendi etc., *C Cons.*; et contra *D. min. subsumpta*, *N. alteram Cons.* Ea dicuntur *intendi*, quae augentur; quae autem minuuntur, *remitti*. Duplex porro est intensionis et remissionis genus, quoad *entitatem* nempe seu quoad substantiam, velut cum per lignorum accensionem augetur flamma, vel per pabuli subtractionem minuitur; qua sane ratione neque anima rationalis neque sensitiva, siqua est, intendi potest ac remitti, cum utraque sit substantia simplex et spiritualis. Alterum intensionis et remissionis genus est quoad *operationes*, ceu cum res aliqua, eadem perseverante ejus entitate, magis vel minus vividas, validas, efficaces, perfectasque edit actiones. Intensio haec et remissio non modo convenire potest substantiae spirituali, sed etiam reapse convenit. Annon enim intensiores vel remissiores invidiae, amoris, odii, reflectionis, ceterarumque suarum affectionum actus elicit rationalis mens nostra? Cur ergo intensiores vel remissiores sensationes eidem repugnare dicendae sint, ego sane non video.

264. *Inst.* Sensationes, puta dolor aut voluptas, intenduntur velut per gradus et remittuntur; sed gradus intensionis vel remissionis sensationum sine subjecti, quod dolet aut laetatur, intensione ac remissione, etiam quoad *propriam entitatem* intelligi sane non possunt : ergo etc.

265. R). Hoc argumentum omni ex parte claudicare videtur. Negari enim imprimis posset, sensationes intendi per gradus aut remitti. Ex inflicto vulnere doleat anima, puta ut quatuor; vulnere porro recrudescente, ut octo; posterior haec sensatio non est prior illa, quae aucta velut per gradus fuerit, sed plane altera; prior nempe evanuit jam, dum furit posterior, et utraque indivisibilis est ac simplicissima. Quod si gradus in sensationibus esse pervicaciter contenderis; esto; sed quid tum? Eodem jure ac ratione dixerim ego.

go, gradus esse in invidia, in odio, in amore, inque aliis animae rationalis effectibus; neque tamen, opinor, inde colliges, ipsam quoad *propriam entitatem* intendi posse aut remitti.

266. *Ob.* 2. Plura alia in medium proferunt pro re sua Adversarii. Et quidem 1. Sensationes imperio mentis non parent; ergo anima sentiens est a mente ipsa distincta.

2. Dolores, qui ex sola nascuntur perceptione mali, aperte ab iis distinguimus, qui ex contusione vel scissione proveniunt, idque inter eos intercedit discriminis, quod est inter dolorem, quem ex fractura navis sentit nauta, et quem percipit ex cruris aut brachii fractura. At si ab eadem anima rationali aeque procederent; distingui a nobis non possent: ipsa enim esset, quae dolores conciperet; quidquid demum si occasio seu caussa unde doleret.

3. Diversae in homine atque in brutis operationes diversa in iisdem principia indicant: ergo etiam diversae in eodem homine operationes diversas in ipso animas indicare debent.

4. Imo vero contrariae operationes, propensionesque in uno eodemque homine habentur, nempe appetitu, ut ajunt, *sensitivo* homo deflectit a bonis moralibus, ad quae appetitu *rationali* tendit. Hinc illa spiritus adversus carnem, et carnis adversus spiritum colluctatio, de qua Apostolus (*a*). Ergo saltem duplex in eodem existit principium.

5. Apud Danielem legitur (*b*): *benedicite spiritus, et animæ justorum domino*. Et Apostolus, *Deus pacis*, inquit (*c*), *sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini Nostri Jesu Christi servetur*. Spiritus igitur seu mens rationalis ab anima distincta est.

267. R: *ad* 1. Anima rationalis plures intellectus sui operationes adeo necessario elicit, ut ipsae imperio voluntatis non pareant. Nil ergo mirum si eidem non subsint sensationes: mens enim ob commercii leges ita alligata est corpori, ut hujus impressiones ad cerebrum per internos sensus delatas omnino necessario percipiat.

268.

(*a*) *Ad Gal. cap.* 5. *v.* 17.
(*b*) *Cap.* 3. *v.* 86.
(*c*) 1. *ad Thessal. cap.* 5. *v.* 23.

268. ℟. *ad* 2. Ea vi praedita est mens nostra, ut ad suarum affectionum originem sese convertat, quemadmodum mox dicemus. Cum igitur diversa sit origo dolorum, qui ex sola mali perceptione, et qui ex contusione vel scissione corporis in nobis fiunt; alios ab aliis perspicue atque aperte distinguimus.

269. ℟. *ad* 3. Ea de caussa asserimus, diversa esse in brutis et in hominibus principia, quod rationales hominis operationes a mere sensitiva brutorum anima proficisci non possint. At mens rationalis, quae est in homine, potest etiam sensationes producere (§. 255.).

270. ℟. *ad* 4. Una eademque rationalis anima duplici agitur appetitu, *sensitivo et rationali*, prout diversa motiva in diversas velut partes ipsam trahunt. Injusta temporalis alicujus boni acquisitio quatenus est utilis, animum ad sui consequutionem inclinat; ad fugam autem movet, quatenus inhonesta est, seu aeternis Dei legibus contraria. Hinc liquido constat, quid sit *inferior*, quidque superior animae pars. Nempe dicitur pars *inferior*, si in bonum dumtaxat utile et delectabile tendat; *superior* vero, si tendat in bonum honestum, rectaeque rationis dictamen sequatur. Luctam igitur non inter diversa, sed in seipsa sentit rationalis mens nostra.

271. ℟. *ad* 5. Objectis similibusque sacrarum Scripturarum loquutionibus non realis ac proprie dicta animae a spiritu secretio designatur, sed tantum ratione officii, hoc est, pro operationum, quas elicit, et relationum, quas habet, diversitate eadem rationalis anima diversis appellatur nominibus (*) scilicet prout spectat superna, et rationales operationes exercet, dici solet *spiritus et mens*: *anima* vero, quatenus respicit temporalia bona, vel corpus regit ac moderatur (§. 6.). Ceterum *anima*, *spiritus*, *et mens* promiscue in sacris Scripturis usurpantur: *vidi*, inquit Joannes (a), *subtus altare animas*, utique rationales, *interfectorum propter verbum Dei*, *et propter testamentum*, *quod habebant*.

272.

(a) *Apocal. cap.* 8. *v.* 9.

(*) Consulatur S. Gregorius Nyssenus (in *Atirrhetico* n. 46. et 47.).

272. *Ob. contra secundam propositionis partem*. Eo tempore embryoni infundi dicenda est anima, quo ejusdem animæ operationes incipiunt; sed prius vegetativæ, sensitivæ deinde, ac demum rationales operationes incipiunt in homine: ergo successiva plurium numero animarum in eodem homine existentiam adstruenda jure optimo est.

273. ℟. *C. maj.*; *D. min.*, prius vegetativæ &c., ita tamen ut vegetativæ illæ operationes a vegetativa anima, quæ sit distincta a mechanismo corporis ejusque viribus, derivari non debeant; sensitivæ autem derivandæ sint ab anima rationali, *C.*, secus, *N*; *min. et Cons.* Qui plane ipso conceptionis tempore animam rationalem creari infundique corpuscolo autumant (§. 237.), negabunt certe, vegetativas operationes sensitivas praecedere. Illud saltem certum videtur et exploratum, operationes vegetativas non a vegetativa anima proprie dicta, sed ab ipso embryonis seu potius organici corpuscoli mechanismo proficisci (§. 256.), sensitivas vero ab anima rationali (§. 255., 257.). Quare sive eodem tempore vegetativae, sensitivae, at rationales operationes incipiant, sive non; profecto non plures successivae animae admitti in eodem homine possunt ac debent.

274. *Inst.* Primis a conceptione diebus embryo non est nisi lactea quaedam massa plane informis, in quo proinde illa non inest organorum dispositio, quae requiritur, ut vegetativae ejusdem operationes per solum mechanismum fiant; et multo minus, etiam aliquot a conceptione transactis diebus, dispositio illa habetur, quae ad recipiendam in se rationalem animam necessaria est; atqui tamen vel primis a conceptione diebus vegetatio in embryone perficitur, sensationes vero paullo post, uti ex pluribus observationibus aperte colligitur: ergo etc.

275. ℟. *N. maj.* Sive in maribus sive in foeminis præexistunt corpuscula organica (§. 179. *et seqq.*), quae si in loco sibi debito collocata fuerint et foecundata, aptissima sunt, ut non modo propriis viribus vegetent, sed etiam ut animam rationalem in se recipiant, quae primum sensitivas, et rationales subinde efficiant operationes. Quare objectum argumentum illos tantum premit, qui organica corpuscula ex maris vel ex utriusque parentis deciso semine compingi arbitrantur. Respondent tamen, vi *plastica*, *architectonica* seu *formatrice* informem illam materiam instrui posse organis: neque

que enim, subdunt, vera ac proprie dicta per id tempus habetur vegetatio, sed una agglomeratio partium seminis, juxtapositio, distributio, et augmentatio; quae quidem omnia non per substantiam intus acceptam et per vasa ad omnes embryonis partes diffusam fiunt, uti vegetatio postularet. Statim ac vero corpusculum ita conformatum est, ut vera proprieque dicta vegetatio fieri in eodem possit, rationalis anima ipsi infunditur et copulatur. Quid ad haec Adversarii?

276. *Inst.* Sacri Canones (a) docent, homicidium ab eo non perpetrari, qui foetum ante animae rationalis infusionem *occiderit*, quod scilicet dici nedum possit, natum esse hominem. Jam vero *occidi* non potest, nisi quod animam habuerit. Si ergo, juxta sacros Canones, *occidi* potest foetus, antequam rationalis anima eidem infundatur; profecto anima, sive vegetativa sit sive sensitiva, rationalem praecedat necesse est.

277. R. Occisio *proprie* accepta fit, quum homini anima jam prædito vita adimitur; *improprie* vero, si sequutura animæ infusio præpediatur. Fœtum ante infusionem rationalis animæ posteriori hoc sensu tantum *occidi* posse docent sacri Canones.

278. Nec mirum, si utrumque Jus, civile et canonicum leviores pœnas in eos indixerit, qui primis a conceptione diebus, graviores vero in illos, qui post quadraginta vel sexaginta dies abortum, effectu sequuto, procuraverint. Quum enim laudatæ leges condebantur, tempus, quo anima infunditur corpusculo, non adhuc certo innotuerat, illudque tantum exploratum erat, infusionem illam post quadraginta vel sexaginta a conceptione dies factam fuisse. Quare an abortus ante illos dies peractus, fuerit verum ac proprie dictum *homicidium*, dubium erat; post ipsos autem, certum. Porro æquissimo jure leviores pœnæ pro incerto homicidio, graviores vero pro certo decernuntur. Ceterum utrumque Jus concertationem de tempore, quo infunditur anima, plane intactam, ac Philosophis discutiendam reliquit.

SE-

(a) In 2. part. Decreti cap. Sicuti, *caussa* 32. *q.* 2., *et cap.* Quod vero.

SECTIO II.

De mente humana quod ad corpus, cui copulata est, spectata.

Mens humana quod ad corpus spectata duo potissimum expendenda nobis suppeditat; 1. ejusdem in corpore ipso sedem: 2. mutuum inter utramque illam substantiam intercedens commercium. Sit igitur

CAPUT I.

De mentis humanae in corpore, cui copulata est, sede,

QUÆSTIO XII.

Ubinam corporis propria substantia resideat mens humana?

279. *Def. Cerebrum*, a Platone *divinum membrum*, et a Democrito *Mentis custos et thronus* dictum, est albicans quedam, mollis, atque humida substantia, quæ cranio velut muro circumsepitur et continetur.

280. *Schol.* Plura in cerebro distinguunt Anatomici. Pauca hoc loci delibasse sufficiat, nempe *cerebrum* proprie dictum, quod situm est in anteriori capitis parte, quæ *sinciput* appellatur, atque est fronti propior; *cerebellum*, quod in posteriori ejusdem capitis parte, quæ dicitur *occiput*, est collocatum; ac demum *coniarum* seu *glandulam* in tertio ventriculo positam, quæ cum pineæ nucis figuram referat, dicta est *pinealis*. Accuratam harum partium descriptionem in compendio Anatomes exhibebimus. (*Phys. Partic.* §. 1167. *et seqq.*)

281. Ex cerebri et cerebelli substantia oritur *medulla oblongata* velut in caudam contexta, quæ ad magnum usque occipitis foramen producitur, quæque quatenus extra cranium progressa protenditur usque ad *os sacrum* ano incumbens, *medulla spinalis* vocatur. Porro ex cerebro et cerebello tanquam ex radice, et ex medulla oblongata et spinali tamquam ex trunco prodeunt teretes quidam, albicantes, et fibrosi (*a*) velut funiculi, qui dicuntur *nervi*, et infinita propemodum di-

(*a*) *Heisterius in Compendio anatom. n.* 301.

divisione multiplicitateque per totum corpus ceu fila et rami diffunduntur ac propagantur. Nihilo tamem minus ad quadraginta tantum *paria* seu *conjugationes* reduci communiter solent. Decem ex medulla oblongata, reliquæ vero ex spinali nascuntur. Nervos esse intus cavos, negat Bartholinus (*a*) sed post Boerhaavium ac plures alios affirmat Heisterius (*b*), additque cavitatem hanc fuisse a Levvenokio non semel observatam. Intra ipsam esse, ac mira celeritate excurrere subtilissimam quamdam, apprime fluidam, et summe mobilem substantiam, quam *fluidum nerveum*, *et spiritus animales*, vel etiam *vitales et naturales* vocant, prout diversis usibus inserviunt, constans est Boerhaavii, Heisteri, Villisii, Haller, Vateri, aliorumque, nonnullis tamen repugnantibus, opinio. Addunt, motibus corporis sive naturalibus sive animalibus, atque etiam sensationibus esse destinatos. Quidquid tamen hac de re sit, illud certum ad minus est, nervos esse totidem omnium humani corporis motuum, atque sensationum animæ instrumenta (*c*); nempe sensationibus spontaneisque motibus inserviunt nervi illi, qui prodeunt e cerebro; qui autem e cerebello, motibus naturalibus; nam docet Villisius (*d*), ligato, vel resecto uno vel altero nervorum ex cerebro derivantium, sensationes motusque spontaneos plane deficere in ea corporis parte, cui nervus ille inserebatur, perseverantibus interim naturalibus motibus, respiratione, circulatione sanguinis, cordisque et arteriarum pulsibus. At naturales hi motus aut deficiunt penitus, aut intermittuntur, si nervi ex cerebro prodeuntes lædantur vel resecentur. Hinc functiones cerebri a cerebelli functionibus, aut vicissim non pendent; quod adeo verum est, ut Wolfio referente, perforato cerebro aut etiam extracto, quidam homines vitam non amiserint; amiserint autem statim ac, intacto cerebro, cerebellum læsum fuerit ac vulneratum. De nervorum systemate agendum erit in Anatomes compendio, quod dabimus in physica particulari (*Sect. III. cap. 1. art. 2.*).

Sen-

(*a*) *Libello 3. Anatomiae cap. 1.*

(*b*) *Geisterus loco citato.*

(*c*) *Galenus lib. de dissectione nervorum cap. 1.*

(*d*) *Anatom. cerebri cap. 15.*

Sensus quaestionis.

282. Hoc loci inquirimus, in quanam nostri corporis parte, speciatim vero an in toto ipso corpore, vel potius in solo cerebro universim spectato propria substantia mens humana resideat?

Opiniones diversae.

283. Animam quoad suam subsantiam esse totam in toto corpore, et totam in qualibet ejus parte, si sanguis, saltem juxta Scotistas, aliique humores excipiantur, celebris est et communis Scholasticorum sententia. Exemplo, inquiunt, sit Deus. Hic existendi in loco modus dicitur *definitivus* (§. 45.). Attamen pro diversa organorum dispositione et structura, diversas functiones exercet eadem ac tota anima, nempe in oculis videt, audit in auribus, imaginatur in anteriori cerebri parte; atque in media judicat et ratiocinatur. Hanc opinationem pene obsoletam iterum innovavit vindicavitque P. Antonius Ferrari (*a*). Contra sentiunt recentiores fere omnes, Gassendus, Cartesius, Malebranchius, Wolfius, ceteri, quorum judicio mens nostra in solo residet cerebro; quod etiam docuerunt nobiliora antiquitatis ingenia. Non omnes tamen conveniunt in ea designanda cerebri parte, in qua ipsa propria substantia resideat. Plato et Democritus in toto capite eamdem collocant (*b*); circa caput Pythagoras; Erasistratus circa membranam cerebri, quam *epicranidem* vocat; Herophilus *in ventriculo cerebri, qui idem basis est ejus*, hoc est, in tertio cerebri ventriculo: Rosettus in *meningibus*, quae sunt duae membranae cerebri ac cerebelli substantiam involventes: in *septo lucido* Digbaeus; Cartesius in *glandula pineali* (*c*); Lancisius, Berger, de la Peyronie, Storchenau, aliique in *corpore calloso*, quod est interior et duriuscula cerebri et cerebelli pars. Singularis est Caroli Bonet hypothesis (*d*). Animae sedes est organica quaedam aeterea ac velut spiritualis machina intra callosum corpus sita, in quam agunt spiritus animales, adeo ut cerebrum et corpus callo-

sum-

(*a*) *Phy.. part.* 3. *disput.* 1. *q.* 1.

(*b*) *Plutarchus lib.* 4. *cap.* 5.

(*c*) *Part.* 3. *Epistolarum Epist.* 58. *et alibi*.

(*d*) *Contemplation de la nat. P.* 4. *Palingenesie*.

sum non sint sedes animae séd sedis vagina. Nec minus singularis est altera, cujus meminit Verneius (a). Quamdam machinulam ex materia electrica constantem, et instructam organis sibi confingunt nonnulli recentiores, eamque esse volunt nostrae animae sedem. Non defuerunt, qui animam neque per totum corpus diffusam, neque in cerebro residere arbitrarentur; sed vel in corde, ut Crysippus; vel in arterioso cordis ventriculo, uti Diogenes; vel in cervice cordis ut alii; vel in toto pectore, ut Parmenides et Epicurus; vel in sanguinis concretione, ut Empedocles; vel ad pylorum stomachi, ut Helmontius; vel denique in alia peculiari humani corporis parte.

Hypothesis.

284. Mens humana ibi quoad propriam substantiam residere dicenda est, ubi sentit. Patet: sensationes enim sunt actiones immanentes, atque ideo in mente ipsa, quae sentit. Ubi ergo sentit mens, ibi quoque resideat necesse est.

LEMMA

Mens humana non in toto corpore sentit sed in solo cerebro.

285. *Pr.* 1. *pars.* Compertum est ex Boerhaavio (b), quod, ligato nervo, nullus omnino in ea corporis parte, quae infra ligaturam est, habetur sensus et motus. Hoc idem evenire, si nervi medulla Praecidatur, testis est Galenus (c). Compertum quoque ex Cartesio est (d), illos, qui phrenesi, apoplexia, lethargo, aliisve morbis solum cerebrum afficientibus laborant, nihil sentire, quamvis externa eorumdem sensoria integra sint et perfecta. Quod quidem fieri, si compressa fuerit, discissa, putrefacta, exesa medulla cerebri aut cerebelli, nempe omnem actionem per nervos inde oriundos exerceri suetam statim aboleri, licet nervi in integritate sua et membranis intacti perstent (*), scribit idem Boerhaavius

(a) *Phys. part.* 3. *cap.* 1.

(b) *Tom.* 2. *Praelect. in suas Institutiones Medicas num.* 284.

(c) *Lib.* 7. *de Hippocratis et Platonis decretis cap.* 8.

(d) *Part.* 2. *Princip. n.* 196.

(*) *Colligi hinc potest, sensationum instrumenta non esse nervorum membranas, quae sunt* piae et durae matris *seu meningum cerebri et cerebelli productiones.*

(*a*); additque (*b*), nihil omnino sentiri neque fragorem maximi tormenti, neque lucem vividissimam, neque penetrantissimum ab ustione dolorem, si duae unciae aquae in ventriculos cerebri effundantur. Hinc merito *innumerabilibus exemplis constare* ait Haller (*c*), *sensorio illaeso, aut illaeso nervo artus alicujus, sed vel cerebro laborante, vel nervo inter sensorium et cerebrum, sensum omnem deleri*. Ex his porro facile constat, animam non in toto corpore sentire. Nam infra ligaturam nervi, non secus ac supra ligaturam recta adhuc prestat ejusdem nervi dispositio. In morbis autem solum cerebrum afficientibus, et in aquae in cerebri ventriculos effusione, nervi extra ipsum cerebrum constituti plane illaesi et integri perseverant. Hoc idem dicendum de ea parte nervi, quae infra scissionem est posita. Omnia itaque, quantum ad nervos, vel etiam si mavis ad spiritus animales seu ad sensationum instrumenta pertinet, praesto ad ipsas sensationes sunt et expedita. Si igitur non sentit anima, liquido apparet, non in toto corpore ipsam sentire. *Q. E. 1. pars.*

286. *Pr. 2. pars.* Si non in solo cerebro sentiret mens humana, sed in aliis etiam, quaecumque eæ sint, nostri corporis partibus; sentiret profecto, quamvis cerebrum morbis ipsum dumtaxat afficientibus laboraret, vel compressa esset, discissa, putrefacta, exesa medulla ejusdem cerebri aut cerebelli, vel demum aqua in ejus ventriculos effunderetur; reliqua enim sensoria bene recteque se haberent. Atqui, ex observatis (§. 285.), illud est falsum. Ergo mens humana sentit in solo cerebro. *Q. E. 2. pars.*

PROPOSITIO.

Mens humana non in toto corpore, sed in solo cerebro quoad propriam substantiam residere dicenda est.

287. *Pr.* Mens humana ibi quoad propriam substantiam residere dicenda est, ubi sentit (§. 284.); atqui non in toto cor-

(*a*) *Loco citato.*
(*b*) *Tom.* 3. §. 568.
(*c*) *Nota ad postremum hunc Boerhaavii locum.*

corpore sentit, sed in solo cerebro (§. 285., 286.): ergo non in toto corpore, sed &c. *Q. E. P.* (*)

288. *Corol.* Opiniones omnes superius laudatæ (§. 283.), quæ animæ sedem sive in corde, sive in quavis alia peculiari humani corporis parte extra cerebrum sita constituunt, per se cadant oportet. Quis porro machinulas sive *aetheream* sive *electricam* non ridebit?

Con-

(*) *Fateor equidem, hactenus dicta demonstrationis vim non habere. Nam si anima suapte natura, planeque independenter a corpore, sed tamen consentanee ad motiones cerebri actiones suas eliceret, ut putant Leibnitiani; vel a Deo ex occasione motionum ejusdem cerebri adficeretur, sicuti Occasionalistarum opinio est; profecto in quavis ipsa esset corporis sui parte, omnia omnino laudata phoenomena* (§. 285., 286.) *aeque eveniret. Majorem vim habent in systematae* Influxus physici, *in quo statuitur, animam in corpus physice influere, et corpus in animam: ipsa namque in hac hypothesi ubique sui corporis, integris perfectisque sensoriis organis, afficeretur, ac sentiret proinde, si quidem ubique eadem resideret. Cum itaque non sentiat, nisi afficiatur a cerebro; perspicuum est, ipsam in eo tantum propria substantia existere. Si dixeris, cetera organa apta per se non esse, ut afficiant animam, sed tantum quatenus movent cerebrum; ut quid ergo anima in iisdem residet, dum ibi neque affici, neque praestare aliquid potest? Nihilo tamen minus etiam in aliis hypothesibus saltem probabilius est, animam in solo cerebro residere. Nam si ex observationibus constat, ipsam non sentire, nisi cerebrum moveatur: potior ratio apparet, cur in ipso potius quam in parte alia resideat. Eo vel magis quod nervi omnes, qui sunt omnium corporis motuum, et sensationum animae instrumenta* (§. 281.), *ex cerebro suam ducunt originem* (ibid.). *Cerebrum igitur est veluti pars princeps, in qua et ex qua anima totum corpus moderetur, et ad quam omnes alterius cujusvis membri impressiones deferri commode possint. Hinc siqua est ratio, cur in determinata aliqua humani corporis parte animae sedes collocanda sit, cerebrum prae quibusvis aliis praeferre ipsa videtur.*

Contraria argumenta convelluntur.

289. *Ob. adversus primam propositionis partem.* Mens humana est *per se et essentialiter* humani corporis forma, quemadmodum in Conciliis Viennensi et Lateranensi V. definitum fuit; sed formæ ratio postulat, ut ipsa propria entitate totum informet subjectum, cujus est forma: ergo &c.

290. ℟. *D. maj.*, mens humana est &c., quæ sit per totum corpus diffusa, *N.*, secus, *C. maj.*; *et D. min.* formæ *materialis* ratio postulat &c., *C.*, formæ, quæ sit substantia spiritualis ratio postulat &c., *N. min. et Cons.* Formæ materiales diffundi debent per totum corpus, cujus sunt formæ neque enim sunt nisi partium ejusdem corporis dispositiones ac vires, quæ ex una vel altera tantum parte nequeunt omnes functiones suas in totum subjectum exercere. At mens humana est substantia et quidem spiritualis, quæ proinde etiam in solo existens cerebro potest totum corpus ope nervorum regere ac moderari. Porro huic officio ex intrinsecis suis destinata a Deo est, atque ideo est etiam non *per accidens*, sed *per se et essentialiter* humani corporis forma, ut Concilia Viennense et Lateranense V. scite definierunt. Qua quidem super re advertendum est cum Antonio Genuensi (*b*), eo tempore, quo celebratum fuit Viennense Concilium, cujus decretum laudat Concilium Lateranense (*a*); quosdam asseruisse, animas nostras non alia ratione corporibus humanis uti, ac dæmones iis corporibus, quæ obsident. Contra hos itaque acta res est; et quamvis Patres adhibuerint vocabula, quæ privatæ scholasticæ opinioni per id tempus vigenti responderent; putandum tamen non est, hanc ipsam opinionem quoad diffusionem animæ per totum corpus voluisse ceu fidei dogma christianis philosophis præscribere; secus enim velut hæretici, vel saltem de fide suspecti habendi essent ii omnes, numero doctrina atque etiam pietate insignes, qui subinde contra senserunt; quod equidem nemo modestus dixerit.

291. *Inst.* Toti humano generi compertum est ex intima conscientia, se audire in auribus, videre in oculis, sentire in

(*a*) *Elem. Mct. part.* 3. *cap.* 20.
(*b*) *Sess.* 8.

in qualibet sui corporis parte; atqui ubi sentit anima, ibi etiam existit (§. 284.); ergo anima ita est humani corporis forma, ut sit quoque per totum ipsum corpus diffusa.

292. ℞. *D. maj.*, toti humano generi compertum est ex intima conscientia sibi *videri*, se audire in auribus &c., *C.*, se *revera* audire in auribus &c., *N. maj.*; *et C. min.*, *N. Cons.* Sensus intimus seu conscientia, quatenus certitudinem metaphysicam in nobis parit, unam spectat actualium affectionum mentis nostrae existentiam, non autem modum caussas ordinem circumstantias similia, quae affectiones ipsas aut praecedunt, aut comitantur, aut sequuntur (*Log.* §. 383. 384.) Hinc ad rem nostram quod pertinet, conscientia de hoc uno certos nos reddit, nempe sensationes in nobis *esse*, nobisque *videri*, quod ipsae in qualibet corporis nostri parte fiant, sed non ibi reapse fieri. Dempto autem sensu intimo, restat ut res praesens observationibus definiatur. At observationibus constat, animam non in aliis corporis partibus, sed in solo cerebro sentire (§. 285. 286.). Cur porro sibi *videatur*, se sentire in toto corpore, ubi impressio fiat, dicemus postea (§. 300.)

293. *Inst.* Ex quo nobis *videamur* nos ratiocinari, judicare, velle, nolle in cerebro, jure conjicimus, has ipsas operationes in eodem cerebro *revera* fieri; ergo si ex concessis nobis *videtur*, animam sentire in qualibet parte corporis, *revera* ibi sentire dicenda est.

294. ℞. *D. A.*, ex quo *tantum* nobis videamur, nos &c. jure conjicimus &c., *N.*, secus, *C. A.*, *et N. Cons.*, *et paritatem*. Non ea tantum de caussa putamus, intellectuales operationes in cerebro fieri, quod id nobis videtur, bene vero 1. quia huic apparentiae nulla observatio, ratio nulla adversatur; unde quamvis internus hic sensus metaphysicam in nobis non pariat certitudinem, plurimum tamen valet (*Log.* §. 385.): 2. quia observationes hanc ipsam apparentiam mirum in modum confirmant: nam praeter eas, quibus superius ostendimus (§. 286.), animam in solo cerebro sentire; compertum est etiam, quod si, illaeso cerebro, alia membra vel frigore vel morbo ita corripiantur, ut sensum omnem amittant, mens ipsas intellectuales suas operationes exercet. At sensationes fieri in qualibet parte corporis, observationes non modo non ostendunt, sed quin potius contrarium quam luculenter evincunt.

295.

295. *Inst.* Observationes ostendunt, animam eodem temporis momento sentire, quo debita in extima sensorii parte facta est impressio; atqui id esse non posset, si anima revera non sentiret in parte laesa; cum tempus aliquod intercedere debeat ad hoc, ut impressio illa ad cerebrum, atque ideo ad animam deferatur: ergo etc.

296. ℟. Cerebrum inter et extimam cujusvis sensorii partem nonnisi brevissimum intercedit spatium; aliunde vero spiritus animales tanta celeritate donati sunt, *ut*, Villisii judicio (a), *vix lumen celerius per medium diaphanum feratur, quam spirituum ab una extremitate systematis nervosi ad alteram communicatio instituitur*. Lux autem tanta velocitate fertur, ut ne per magnam quidem terrestrium locorum distantiam ulla in ejusdem propagatione deprehendi potuerit notabilis mora. Nihil igitur mirum, si tempus, quo impressio defertur ad cerebrum, adeo insensibile nobis sit, ut et impressio ipsa et sensatio eodem momento fieri videantur.

297. *Ob. adversus alteram propositionis partem*. Occasionales sensationum caussae sunt impressiones in corpore factae; atqui non omnes id genus impressiones fiunt in cerebro: ergo anima non in solo cerebro sentit, neque proinde in ipso tantum residet.

298. ℟. *C. maj.*, *D. min.*, non omnes &c.; omnes tamen ad cerebrum deferuntur, *C.*, secus *N. min*, *et utramque Cons.* Impressiones etiam in extimis corporis nostri partibus factas deferri ad cerebrum, perspicuum est ex observationibus, quibus constat, nullas sensationes fieri, si nervus ligatus sit aut discissus (§. 285.); cujus quidem rei nulla alia esse videtur caussa, quam quod impressiones infra ligaturam ejusdem nervi, aut scissionem factae ad cerebrum non deferantur. Ceterum illud idem vel Adversarii ipsi concedere debent: per ipsos siquidem anima in cerebro, quod vocant *sensorium commune*, rationales suas circa externa sensibilia objecta operationes exercet (§. 283.) Tum in ipso *phantasiam* collocant, quae est quoddam, ut ajunt, *promptuarium*, ubi materiales rerum corporearum species seu imagines et sistuntur et asservantur. Nemo porro non videt, neu-

(a) *Anatom. cerebri cap.* 19.

neutrum esse unquam posse, nisi impressiones illas ad cerebrum deduci, omnino supponant. Hinc facile intelligitur qua de caussa anima etiam in solo residens cerebro ad omnes sui corporis impressiones sentire commode possit.

299. *Inst.* Si impressiones omnes ita ad cerebrum deferuntur, ut animam in ipso tantum ad sentiendum determinent, profecto ipsa anima adverteret, se in illo tantum sentire; atqui hoc est falsum: ergo &c.

300. ℟. *D. maj.*, si &c., nisi vim haberet, qua sensationes suas ad laesas corporis partes referret, *C.*, secus, *N. maj.*; *et C. min.*, *N. Cons.* Animam vim habere referendi sensationes suas ad laesas corporis partes, conjecerat Gassendus. *Licet*, inquit (*a*), *non videamur nobis experiri, elici visionem interius, potius quam exterius; caussa esse potest, quod ipsa facultas* (animae) *resultu exposito mota, eo convertatur, unde impressio advenit, ac sensibile illic, non vero ubi ipsa est, adesse percipiat, ac sentiat: ut enim res visa eo loco apparet, unde ejus species seu radius recta ultimum advenit, tametsi res ibi non sit, veluti dum illam intuemur in speculo; ita videtur eadem res nobis conspici in ea corporis parte, quam primum percellit, utcumque alia ulterior sit, e qua perculsio in illa sentiatur. Sic cum videmur nobis in manu, pedeve compunctis dolere, ideo est, quod pari ratione facultas eo convertatur, unde memoratus resultus laesionem factam veluti renunciat.* Refert Cartesius (*b*), *quod cum puellae cuidam manum gravi morbo affectam habenti velarentur oculi, quoties chirurgus accedebat, ne curationis apparatu turbaretur, eique post aliquot dies brachium ad cubitum usque, ob gangrenam in eo serpentem, fuisset amputatum, et panni in ejus locum ita substituti, ut eo se privatam esse plane ignoraret, ipsa interim varios dolores nunc in uno manus, quae abscissa erat, digito, nunc in alio se sentire querebatur.* Id ipsum se expertum fuisse testatus est P. Fortunato a Brixia, ut hic ipse scribit (*c*), quidam brixianus miles, cui in obsidione Corcyrensis Insulae a Turcis an. 1716. frustra tentata, amputa-

(*a*) *Sect.* 2. *Phy. Membro* 2. *lib.* 6. *cap.* 1.
(*b*) *Part.* 4. *Princip. n.* 196.
(*c*) *Phys. partic. part.* 2. *tract.* 2. *dissert.* 2. *sect.* 2.

putatum fuerat brachium. Hæc hisque similia manifeste evincunt laudatam animae nostrae vim et facultatem. Imo vero fateri eamdem debent, velint nolint, vel nostri ipsi Adversarii. Cum enim anima simplex sit, ac tota, si ipsos audiamus, in qualibet corporis parte; tota etiam sentit in pede, tota in oculis videt, tota in cerebro vult judicat ratiocinatur. Qua igitur de caussa advertit, se nisi in læso pede non sentire, non videre nisi in oculis, nisi in cerebro non velle non judicare non ratiocinari? Non alia sane, quam quod sensationes suas ad eas corporis partes, quæ sunt præsentia earumdem instrumenta, referendi vim habet. Qua quidem in re sapientissimum divinæ providentiae consilium suspicimus: inde enim fit, ut anima continuo certoque dignoscat læsas partes, eisque, uti par est, prospiciat.

301. *Inst.* Si anima vim haberet referendi sensationes ad læsas sui corporis partes, sensationes ipsas, puta dolorem ad totam nervi longitudinem referret; hoc autem falsum est: ergo &c. *P. maj.* In tota nervi longitudine esset eadem caussa physica doloris, seu perturbatus et violentus spirituum animalium motus, vel quidquid aliud, quod est sensationum instrumentum: ergo si anima &c.

302. ℞. *D. A.*, in tota nervi longitudine esset eadem caussa physica doloris, hoc est, id, unde anima dolorem sentiat, *C.*, unde dolorem, quem sentit, ad totum ipsum nervum referat, *N. A.*, *et Cons.* Anima ad eas tantum corporis partes se se convertit, quae laesae sunt, et in quibus habetur origo, seu initium et occasio sentiendi, quemadmodum praeter illa plura, quae antea exposuimus (§. 300.), exemplum cæci luculenter demonstrat. Si extremitate baculi herbam, lapides, similia tangat, eadem ipse ab invicem discernit, et quamvis impressio in extremitate ejusdem baculi facta per totum ipsum baculum ad manum usque deferatur; novit tamen cæcus, non toto baculo, sed sola ipsius extremitate corpora illa se tetigisse, factamque in ea fuisse impressionem. Hoc idem constat, ex quo objecta externa appareant visa in dato loco a nobis dissito, non in partibus aeris oculos inter et objecta mediis, licet lux ab objectis visis reflexa; etiam per partes illas propagata ad oculos usque pertingat. Quid ergo mirum, si anima sensationes suas nisi ad læsas corporis partes non referat? Res quidem est explicatu difficillima: quippe impressio ad cerebrum delata nihil

aliud,

aliud, præter sui repræsentationem, menti exhibet. Quid igitur est, quod ipsam admoneat, quod nervus in extremitate potius, quam in aliis ejus partibus læsus fuerit aut corruptus? quid, quod ipsam determinet, ut ad læsam potius, quam ad integram perfectamque sui corporis partem se se convertat? Verum cum sit res facti; nostra ignorantia quoad modum, quo fiat, nihil movere nos debet. Neque mirum, si modum illum explicare non possit Philosophia: siquidem animæ cum corpore unio adeo impervia nobis est, ut *mysterium Naturæ* appellari non immerito possit. Ceterum objectum argumentum ipsos etiam Adversarios nostros urgere videtur. Constat enim, nec diffitentur, impressiones in extimis partibus corporis factas ad cerebrum deferri (§. 298.); atque ideo materialem seu physicam doloris caussam per totum nervum propagari. Cur ergo anima, quæ, si ipsos audias, in toto nervo est, etiam in toto nervo dolorem non sentit? cur sensationes suas refert ad partes læsas, ubi fit impressio, non autem ad omnes nervi partes, per quas eadem ipsa impressio transit, et ad cerebrum defertur?

303. *Dices.* 1. Si anima in solo residet cerebro, ibique dumtaxat sentit, difficillimum intellectu est, quomodo in eadem anima fieri possit distincta alicujus objecti visibilis repræsentatio. Illi enim motus, quos diversi lucis radii seu colores cient in retina oculi, confundi simul deberent, ac velut in unum confluere, præsertim si eodem tempore fuerint excitati. Tum quomodo objecti imago non disperditur per implicatas, contractasque nervorum ad cerebrum usque contexturas? Cur saltem non miris modis confrangitur, ac deformatur? Docent enim experimenta catoptrica, radiis ob inæqualem in speculis inæqualium angulorum reflexionem dissipatis, rerum objectarum imagines aut contortas et monstruosas, aut etiam concisas in partes apparere.

2. In hac eadem hypothesi non posset anima diversas sensationes elicere aut discernere. Profecto sapor non idem est ac visio, vel perceptus sonus. Omnes tamen aeque fierent per motus ad cerebrum delatos, qui nisi velocitate aut tarditate, majori aut minori intensione, unaque aut altera directione differre a se invicem nequeunt. Quid vero, si aliquis ex motibus in aure productis sit ei quoad hæc plane similis, qui in oculis fit aut in pede? nonne anima videret per aurem, vel per oculos pedem audiret?

3. Fæ-

3. Fœtum ad perfectam maturitatem jam ventum duas horas sine cerebro, cerebello, et medulla spinali vixisse, refert Historia Academiæ Regiæ ad an. 1711. Meminit quoque ad an. 1712. alterius fœtus, qui sine cerebro et spinali medulla viginti et unam horam vixerit. Inventi etiam sunt boves, qui lapides; fœtus, qui massam carneam, ut scribit Mangetus, ac puer, qui aquam loco cerebri habebant. Quid plura? Nati sunt canes, atque humani fœtus sine capite, ut referunt Graaf, Auctor *Musaei Cospiani*, Schenchius, Licostanes, Licetus, aliique (*). Postremo columbæ, extracto cerebro et cerebello, vivebant et petebant cibum, Canes quoque, detractis cerebro et cerebello, tum medulla oblongata cultro a spinali diligenter sejuncta, aliquod tempus vixerunt, dummodo tamen per tracheam in pulmones suflaretur. Limax denique, abscisso capite, non vivit modo, sed etiam caput ipsum sibi rursus producit. Anima igitur, non in cerebro, vel saltem non in ipso tantum residere dicenda est.

304. ℟. *ad* 1. Oculi, uti etiam alia quævis sensoria organa, cum sint naturalia illa media ac velut instrumenta, quibus sapientissimus Deus mentem nostram munivit; dubitari non potest, quin aptissima per se sint, ut objectorum externorum imagines atque affectiones eidem menti, sicuti par est, exhibeant (*Log*. §. 292.). Neque vero animæ in solo cerebro sedes aliquid hac super re facessit negotii. Nam radii lucis in oculi retinam agunt, quæ cum sit expansio nervi optici, acceptam a luce ipsa impressionem, depictamque in eadem externi objecti imaginem cerebro, unde oritur, indeque animæ in ipso residenti communicat. Porro hunc sive spirituum animalium nervi optici, sive cujusvis alterius instrumenti sensationum motum plane sufficere, ut anima lucem ipsam et colores percipiat, ex eo patet, quod si vel in somnis, vel per oculorum perfricationem manu peractam excitetur, mens ipsa lucem aut colores percipit, quin oculos nova externa lux aut colores percellant.

305. Neque confundi debent colores, aut objectorum imagines sensibiliter deformari. Etenim diversi lucis radii, ex quibus pendet colorum varietas, licet eodem tempore ad ocu-

(*) *Consulatur Vallisnerius* (*tom*. 1. *pag*. 93. *et seqq*., *et pag*. 331. *et seqq*.)

oculos deferantur, non confunduntur tamen, sed distinctas retinæ partes concutiunt; secus enim quamvis anima in oculo esset, nihilominus nisi confusos colores, et objectorum imagines non perciperet. Cur ergo distinctæ illæ retinæ partes diversimode concussæ non poterunt per diversos distinctosque nervi optici ramulos ad cerebrum usque continuatos, acceptas impressiones distincte deferre? Ceterum hæc difficultas Adversarios nostros aeque urget: nam impressiones laudatae etiam per ipsos, velint nolint, ad cerebrum deferuntur (§. 298.).

306. Experimenta catoptrica nihil nos movent. Quod enim specula contortas, disruptas, ac monstruosas rerum objectarum imagines exhibeant, inde pendet, quod lucis radios dissipant, sub inæqualibus reflectunt angulis, vel etiam simul confundunt. Hoc autem evenire non potest, si organum visus sanum sit, et objectorum imagines ordinate, uti par est, in retina depingantur; quod quidem concedere debent vel Adversarii ipsi, nisi asserere stultissime velint, imagines, quæ per nervos delatæ pinguntur in cerebro, in eodem contortas esse, disruptas, atque monstruosas.

307. ℟. *ad* 2. Diversa organa sensoria diversam habent texturam, quæ diversis objectorum externorum qualitatibus ad amussim respondet. Hinc nervus opticus impressionem quidem lucis defert ad cerebrum, non autem aeris percussionem, ex qua soni perceptio in mente excitatur. Si igitur organa sensoria diversa sunt, si qualitates corporum diversæ, si diversi motus in externis internisque sensibus excitati; quid mirum, si item diversas sensationes eliciat mens, easque a se invicem manifeste discernat?

308. ℟. *ad* 3. Si objectum argumentum aliquid probaret, probaret etiam, animalia quamvis perfecta vivere sine cerebro posse; quod jure præ ceteris negat Cl. Vallisnerius (a): *si cavi un poco il cervello a un bue, a un cane, a un cavallo, o simile, e si vedrà, che subito perde il moto, e la vita; lo che non dovrebbe accadere, se potesse vivere senza il medesimo, o coll' uffizio suo totalmente oscurato, come viene supposto da' miei dottissimi Avversarj; mentre veggiamo, che se caviamo la milza, o se si cancelli anche, a sfog-*

(a) *Tom. citato pag.* 336.

sfoggiatatamente si turbi per qualche accidente la struttura di varie glandule, vivono senza un tal uso, segno evidente, che senza queste possono vivere e nutrirsi, non senza quello. Singulas tamen objectas observationes singillatim expendamus. Atque imprimis in multis historiarum, quæ pro demonstranda cerebri absentia narrari solent, constat, uti animadvertit Albertus Haller (*a*), ipsum *adfuisse utique, et loco tantum mutatum esse*. Nihil porro interest quod cerebrum in cranio, vel in alia potius corporis parte existat.

309. Verum nullum omnino exstiterit cerebrum, cerebellum, ac medulla spinalis: quid inde tamen? Fieri certe potest, quod, uti observat laudatus Vallisnerius (*b*), aliud organum illis analogum fuerit a natura conditum, quod illorum vices gerat; quemadmodum fuit massa illa carnea, de qua Mangetus (§. 303. *n*. 3.), et quae venis plurimis, arteriis, aliisque partibus, ex quibus cerebri substantia constat, donata erat ac referta.

310. Sed concedamus, defuisse etiam aliud quodvis organum cerebro, cerebello, ac medullae spinali analogum; negamus tamen, foetus illos eo tempore vixisse, quo hisce organis re ipsa atque omnino carebant: haec enim esse ad vitam plane necessaria, nemo unus negaverit (§. 308.). Quid ergo? Scilicet fieri potuit, ut organa illa tum solum omnino defecerint, quum laudati foetus prodierunt in lucem, vitamque amiserunt: nam, uti scribit Haller, memoratae historiae non demonstrant, *cum eo defectu cerebri diu vixisse homines, aut eum primævum adfuisse foetui; sed id tantum, sub ultimum finem morbi cerebrum pene nullum superfuisse*. Hoc ipsum dicendum de bobus, quorum cerebra redacta in petram asseruntur; quod tamen jure negat Vallisnerius (*); ac de puero, cujus cerebrum in aquam conversum traditur; nam observationes institutae nisi post mortem non fuerunt.

311.

(*a*) *Nota in* §. 289. *Praelectionum Boerhaavii*.

(*b*) *Tom. citato pag.* 332.

(*) *Docet*, concretionem *fuisse*, *quam* cerebriformem *vocat; eo quod exterius inspecta formam cerebri referre videatur. Si intus spectetur, formam exhibet ab ea cerebri plane diversam. Natam asserit ex succo osseo, qui in durami*

311. Ad canes quod pertinet atque ad foetus, qui nati sine capite referuntur; dicimus, non eodem, neque cerebro re ipsa caruisse, sed tantum non apparuisse haec membra, ea fortasse de caussa, quod aliae corpusculi organici partes evolutae fuerint, uti par est, nutritae auctaeque, non ita vero caput et cerebrum, hincque factum sit, ut partes illae hæc membra circumvolverent atque occultarent. Ceterum cum foetus in matris utero adhuc delitescens, fere per vitam ejusdem matris vivat, vel a vita matris adjuvetur quammaxime, pluresque ipsius foetus defectus suppleantur; nemo miretur, si foetus ipse possit etiam diu vivere, quamvis non habeat perfectum caput, integrumque cerebrum aut cerebellum, ac posteriora haec membra non in capite, sed in alia corporis parte existant.

312. Denique quantum attinet ad columbas et canes, ex quibus (si quidem vera sunt, quae narrantur) extractum refertur cerebrum, cerebellum, aut etiam medulla oblongata; respondemus, fieri potuisse, ut portio aliqua illarum partium adhuc intra cranium superfuerit fugeritque observatorum diligentiam: nisi forte dicere velimus, bruta illa non veram; sed tantum apparentem vitam duxisse, quatenus spiritus animales, et in canum pulmones per tracheam sufflatio quosdam in illorum membris excitaverint motus, qui motibus vitalibus et animalibus assimilarentur. Restat demum, ut aliquid de limace dicamus. Hoc itaque animal habet cerebrum mobile, ita ut ipsum paullo retrahat versus corpus reliquum. Quapropter idem cerebrum interdum videtur una cum absciso capite vel capitis parte maxima abscindi, cum tamen adhuc supersit plane intactum. Certe moritur limax; si ejus cerebrum reapse detruncetur, neque amplius sibi recuperat caput iterata productione.

313. *Schol.* Hactenus de animae in cerebro universim spectato sede. Ubinam vero ipsius cerebri residere dicenda est? Tum in punctone simplici est; an potius totam aliquam extensam

---

ram osseamque concretus sit massam. Quare non est ipsum cerebrum, quod aut in petram aut in os conversum fuerit. Merito propterea suspicatur, equidem adfuisse cerebrum, sed adeo compressum et ad minorem molem redactum, ut la- [illegible] ossea concretione potuerit.

sensum pervadit partem, eidemque est intime præsens? Neutrum definire auserim. Non primum. Animam in ea parte corporis residere, ex qua nervi omnes, qui sunt motuum ac sensationum instrumenta, suam ducunt originem; facile quisque concedet (*Annot. ad* §. 287.). Sed undenam omnes oriuntur? Non equidem ex *glandula pineali*: nervos enim ab organis sensoriis protensos illuc non pertingere, docet Boerhaavius (*a*). Mittimus cetera, ex quibus constare videtur, animae sedem in celebri illa glandula collocandam non esse. Minus fortasse a veritate ii aberrant, quorum judicio sedes animae est *corpus callosum*: ex ipso enim, inquiunt, nervi omnes sensationibus, motibusque spontaneis inservientes nascuntur; quod experimento confirmavit de la Peyronie (*b*); nempe homini, cui aliqua pars cerebri exemta jam fuerat digito leniter corpori calloso admoto, de repente abstulit sensum omnem, ipsumque, amoto digito, eidem statim restituit. Alias hac super re opiniones non moramur.

314. Alterum quoque institutae inquisitionis caput, num scilicet anima in puncto simplici existat; an potius in extensa aliqua cerebri parte, non definimus. Atque ut a posteriori exordiamur; quamvis animae physice simplici absolute repugnare non videatur (sicuti non repugnat Deo), quod tota quoad propriam substantiam in parte extensa reperiatur; nisi tamen aliqua, eaque satis valida praesto sit sufficiens ratio, ut id adstruamus, haerendum saltem est. At haec ratio vel deest plane, nisi systema *Influxus physici*, de quo postea (§. 337. *et seqq.*); admittendum sit; vel etiam in hac hypothesi claudicare, satisque infirma fortassis videbitur. Porro animam in simplici cerebri puncto existere, cum systemate influxus physici conciliari sane non potest. Quandoquidem nervi omnes non in unicum simplex punctum coeunt: corpora enim sunt, non lineae mathematicae, uti monet Scotus (*c*). Et quamvis in punctum confluerent; explicari tamen nequit, quomodo spiritus animales possint tot tamque diversas impressiones in toto corpore factas deferre ad animam, eamque ad sensationes eliciendas physice determinare. Cum enim

(*a*) *Tom.* 3. *Praelect.* §. 574.
(*b*) *Historie de l' Acad. Royal an.* 1741.
(*c*) *Tract. de rerum principio q.* 12. *n.* 11.

enim laudati spiritus non sint physice simplices; ne unus quidem ex ipsis posset usque ad animam in puncto simplici existentem pervenire. Nam ut ille unus spiritus ad animam perveniat, necesse est, quod per nervum transeat. Transire autem usque ad nervi extremitatem, quae simplex supponitur, spiritus, qui est compositus, plane non potest. Ergo ne ad animam quidem, quae, ex hypothesi, in simplici illa extremitate resideret. Quare postrema haec sententia locum habere ad summum posset in systemate *caussarum occasionalium*, vel *Harmonistarum*, de quibus subinde, et quorum prius temperatum quidem aliis ceteris præferendum putamus (*Phys. Gen.* §. 378.).

CAPUT II.

De mutuo, quod animam inter et corpus, cui copulata est, intercedit, Commercio.

315. *Def. Animae et corporis*, cui illa copulata est, *Commercium* est mira illa operationum utriusque consensio sive harmonia, in eo sita, quod certæ, quaedam operationes animae certis quibusdam corporis motionibus, certae quaedam motiones corporis certis quibusdam animae operationibus ita respondent, ut modo corpus animae, ac modo anima corpori veluti obtemperare videatur.

316. *Schol.* Non ad omnes omnino hominis actiones sese extendit mutuum hoc Commercium. Nam illi corporis motus, quos *naturales* appellant, velut sanguinis circulatio, cum per solum partium mechanismum fiant (§. 254.), sibi respondentes animae operationes non necessario ac per se postulant. *Non necessario*, inquam, ac *per se*: cum enim hi motus nequeant nervos, ac spiritus animales in ipsis existentes aliqua saltem ratione non concutere; fit inde, ut anima, si alio distracta non fuerit, ad illos sese convertat, ac sensationes eliciat (§. 136.). Item actiones illæ mentis, quae non modo in ipsa tantum sunt, sed etiam nullum secum ferunt aut respiciunt producendum extra ipsam mentem effectum, ut sensus intimus seu conscientia, respondentes in corpore motiones non postulant. Leges, quibus laudata operationum animae et corporis consensio regitur, *Leges commer-*

cii appellantur. Novem numerat Sylvanus Regis (*a*), quibus decimam de suo adjecit Antonius Genuensis (*b*). Nos ad quatuor tantum ipsas redigimus.

Lex I.

317. Si eas corporis nostri partes, quas *organa sensuum* dicimus, ita afficiunt res corporeæ extra nos positæ, ut in illis certa quædam motio fiat, eaque ad cerebrum propagetur; eodem fere momento temporis ac necessario in anima, nisi alio distracta sit, exoritur perceptio, quæ semper est eidem motioni proportionalis, scilicet clarior vel obscurior, magis vel minus expedita, prout fortior aut debilior, magis aut minus expeditus fuerit impressus motus; quæque tamdiu durat, quamdiu motio ipsa; cessat autem, statim ac hæc cessat.

Lex II.

318. Quædam sunt in corpore, quæ mentem acuunt, vel obtundunt, vel perturbant, vel paratiorem ad suas functiones obeundas reddunt.

Lex III.

319. Ex vehementiori animi fervore et concitatione, quales sunt *affectus*, fervor quidam et concitatio in sanguine, in fluido nerveo, atque ideo etiam in corpore contingunt.

Lex IV.

320. Ita in corpus, cui conjuncta est, dominatur mens nostra, ut ad hujus nutum quaedam ejusdem corporis partes statim, tum adeo consentanee ad nutum illum concitentur ad motum, quod ipsius motus duratio, intensio, cessatio a voluntate ipsa pendere videantur.

321. *Corol.* I. Anima et corpus ex arcanæ eorumdem unionis vi perinde se habent, ac si corpus in animam et anima in corpus reapse ageret, non secus nempe ac si mens a corpore et corpus a mente in operando penderet.

322. *Corol.* II. In quolibet itaque de commercio humanæ mentis cum ejus corpore systemate, tenendum firmissime est rerum sensibilium notiones eo modo oriri in anima, eaque ratione motus spontaneos in corpore excitari, ac si reapse corpus in mentem, et mens in corpus influeret.

323.

(*a*) *De usu rationis et fidei lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 3.
(*b*) *Elem. Met. part.* 3. *cap.* 1.

323. *Corol.* III. Ut igitur explicetur mutuum animam inter et corpus intercedens commercium, ostendi a Philosophis debet, cur ex mutationibus, quæ a rebus sensibilibus fiunt in corpore, respondentes de iisdem rebus notiones oriantur in anima, perinde ac si corpus animam ad sensationes eliciendas excitaret vi sua; tum cur ad nutum et concitationes animæ motus sequantur in corpore, velut si motus illi ab ejusdem animæ efficacia et vi proficiscerentur:

324. *Schol.* Plures inierunt vias Philosophi, ut mirabile hoc commercium explicarent. 1. Peripateticis visum est, animam esse *formam substantialem* corporis, totum ipsum corpus permeare, esseque ut *vitale* ita *essentiale* ejusdem corporis principium; atque ideo animam ipsam physice agere in corpus, et corpus in animam. 2. Opinatus est Plato; mentem præesse corpori, ut nautam navi, eoque uti velut instrumento; sensum autem ac vitam corporis ab anima, quam *mediam* vocant (§. 250.), procedere. 3. Animam mediam rejicit Cartesius, ac docet, mentem soli cerebro præesse, ibique non modo sensationes elicere, verum etiam ope spirituum animalium in reliquis corporis partibus motus ciere. 4. Malebranchius et Sylvanus Regis putant, neque mentem in corpus, neque corpus in mentem reapse agere; sed Deum esse, qui movet corpus ex occasione cogitationum animi; et ex occasione motionum corporis animum modificat. 5. Leibnitius tandem et Wolfius negant quidem cum Malebranchianis, animam agere in corpus et corpus in animam; utrique tamen huic substantiæ eam sibique propriam concedunt vim; ut unaquæque, quin altera ab altera vel minimum pendeat, suas harmonicas operationes eliciat. De omnibus et singulis hisce opinionibus hoc tulit judicium Antonius Genuensis: *Priori*, inquit (a). *abutuntur Pantheistae, et Lockiani: malebranchiana placet enthusiastis: leibnitiana idealistis: platonica generosis philosophis et nobilibus: cartesiana mechanicis. Sed incertae omnes*. Recte, nec ne, ipse viderit.

325. Recensitæ Hypotheses ad tria Systemata redigi commode possunt; quorum primum appellamus *systema caussarum occasionalium*; alterum *Harmoniae praestabilitae*; postremum denique *Influxus physici*. Nam vel solus Deus corpus

(a) *Elem. Met. part.* 3. *cap.* 2.

pus et animam modificat; quod esset primum illud systema: vel utraque hæc substantia proprias actiones vi sua, quin una ab alia pendeat, sibi producit; quod esset systema alterum: vel denique corpus in animam, et anima in corpus physice agit; quod esset systema posterius. Exemplo rem hanc illustrat Billebius. *Concipiamus, inquit, duo horologia, quae consonare debent. Res expedita reddi potest triplici ratione, una per influxum, si fecerimus, ut alterum agat in alterum, idque vel mutuo, vel ex unica tantum parte. Altera per caussas occasionales, si opificem operi comitem fecerimus, qui dissonantia ceteroquin, vel cessatura a motu horologia singulis momentis dirigat. Tertia, si sapienter satis perfecerimus eas machinas artis, ut singulae suas leges exacte sequantur, easdemque ab initio sibi respondere curavimus. Ita enim cum utraeque easdem, vel similes exequantur leges, semel harmonica factae nunquam dissonabunt.*

ARTICULUS I.

Exponitur systema Caussarum occasionalium.

326. Nicolai Malebranchii, qui fuit præcipuus hujus systematis assertor et vindex, hac super re doctrinam fuse ac perspicue jam alibi exposuimus (*Ontol.* §.296. *et seqq.*). Negat, ut corpus ita et animam habere vim effectricem. Hinc neque corpus in animam, neque anima in corpus agit, sed Deus est, qui actione sua corpus ex occasione cogitationum animae, et animam ex occasione motionum corporis modificat. Huic systemati praelusisse videntur ii omnes, qui solum Deum esse effectricem caussam docebant; quin et Renatus Cartesius (*a*), ut quidam putant; ergo autem saltem incertum crediderim (*). Malebranchium plures sequuti sunt (*Ontol.* §. 297.), prae ceteris vero Cordemoi (*b*). Sturmius (*c*), ac nuperrime Aloysius Antonius Vernejus (*d*).

(*a*) *Part.* 2. *Princip. n.* 56.

(*b*) *Dissert.* 4. *de distinctione corporis et mentis.*

(*c*) *Tom.* 1. *Phys. pag.* 161. *et seqq.*

(*d*) *De re physica lib.* 10. *part.* 3. *cap.* 2.

(*) *Profecto pluribus in locis* (Epist. part. 1. Epist. 29. 69., part. 2. Epist. 5. et 6.) *animam vim habere movendi corpus, non obscure indicavit.*

Censura.

327. Plura, eaque, ut putant, gravissima sunt, quibus hoc systema refellitur. 1. Unicuique hominum compertum videtur, animam in corpus agere, et corpus in animam; a quo quidem communi sensu nemini recidere fas est, nisi satis valida ac firma ad id operis in promptu habeat momenta. Hæc autem plane desunt Malebranchianis. Perperam igitur reale animæ et corporis commercium ipsi abrumpunt, et Causarum occasionalium, sive *Adsistentiae*, ut vocant, systema depraedicant.

2 Nemo non distinguit quantum intersit inter eas actiones, quas natura sua seu vi propria exserit mens. atque eas, quarum non physica seu efficiens, sed tantum occasionalis est caussa. Quis enim non discernat, aliud esse baculum manu sua movere, et aliud præbere alteri occasionem, ut illum ipsum moveat? Cum itaque voluntarios sui corporis motus velut se ipsa excitare sibi videatur mens nostra, et quidem ita, ut sicut se velle et nolle, ita se motus illos producere sibi conscia videatur, nullumque intercedere discrimen advertat; quis animam sicuti volitiones suas, sic etiam sui corporis motus reapse producere, agereque proinde in ipsum corpus, non facile sibi persuaserit?

3. In hoc systemate corpus vix ac ne vix quidem dici posset occasionalis modificationum animae caussa. Nihil enim ex se ponit, quod Deo occasionem praebeat, ut animam modificet: quippe omni omnino vi destitutum supponitur (*Ontol.* §. 297.), atque ideo nihil agit, sed quidquid sive substantiae, sive motus, sive modificationum in ipso est, a Deo est.

4. Indignum videtur viro Philosopho, effectuum naturalium veras caussas plane aliunde quam a natura ipsa rerum arcessere (sarta semper tectaque omnimoda illa, quam res quaevis creatae habere debent, a prima Caussa Deo dependentia): *magna stultitia est*, inquit Tullius (*a*), *earum rerum Deos facere effectores, causas rerum non quaerere*; nisi forte certo constet, effectus illos a caussis secundis se se omnino subducere. At nunquam, quantum sudaverint, demonstrare id potuerunt Malebranchiani, neque probarunt, omnino abhorrere

(*a*) *Lib.* 1. *de Divinat. cap.* 26.

rere a rerum Natura saltem *Influxus physici* systema, in quo potissimum habetur operationum corporis animaeque consensio, quin solus Deus veluti una earumdem caussa adstruatur. Hactenus ii Philosophi, quibus non adridet systema Malebranchianum. (*)

328.

(*) *Licet* caussarum occasionalium *systema utique temperatum nobis adrideat* (§. 314.) ; *nihilo tamen minus in hac altera editione doctrinam in editione priori traditam relinquimus plane intactam : secus enim oporteret rem ferme totam velut de novo compingere. Tum erunt fortasse, quibus saltem systema influxus physici praeferant caussarum occasionalium systemati, cum hoc alterum, nostro etiam judicio, minime excedat probabilitatem. Nobis ergo sufficere videtur, si rationes objectas ita vellicemus ut ipsae opinionem nostram non penitus evertere dignoscantur. Ad* 1. *itaque quod pertinet, rationes non desunt, quarum vi recedendum prudenter sit ab asserto sensu communi, illae ipsae nimirum ; quae evincunt, vim activam et effectricem corporibus minime convenire* (Phys. Gen. §. 351. 352.)

Ad 2. *Eam esse dicimus mutui animam inter et corpus commercii legem, ut in anima ipsa excitetur sensatio, si corporis organa debite immutentur* (§. 317.) *Immutantur autem in eo, qui baculo aliud movet corpus externum : hujus siquidem resistentia ad motum est praesens occasio, cur effectus reactionis in baculo contingat, indeque cur immutetur manus, brachium, cerebrum, tandemque sensatio fiat in anima. Sensitivis, ut ita dicam, qualitatibus efficitur anima etiam dum nutu suo evadit occasio, cur ejusdem corpus moveatur a Deo ; ut puta ad cursum determinetur : quandoquidem aliqua in sensibus contingit mutatio. At vero mutatio nulla fit in sensibus, nullaque proinde sensatio in anima hominis, si hujus jussu alter homo lapidem movet aut currit. Ex hac itaque absentia vel praesentia sensationis mens distinguit, motum, quem imperat ab alio fieri, a motu, quem ope baculi se producere in lapide vel in pede eidem adparet, quamvis utriusque ipsa non sit nisi caussa occasionalis.*

328. *Animad.* Plura alia adversus hanc Hypothesim congesserunt Wolfius, Genuensis, Monteirus, Fortunatus a Brixia, aliique. Præcipuum est. Vim plane omnem ipsis etiam humanis mentibus adimit Malebranchius. Libertas itaque, meritum, peccata, leges corruant necesse est, totque illa hinc fluunt pessima consectaria, quibus cumulatissime scatet impiissimum absurdissimumque Fatalistarum systema, quæque catholicam nostram Religionem penitus atque e radicibus ipsis convellunt. At (tantorum virorum pace dictum sit) Malebranchium, de quo uno loquimur, animis nostris vim saltem mere activam concessisse, ipsissimis ejusdem verbis sententiisque luculenter, nisi omnino fallimur, alibi demonstravimus (*Ontol.* §. 298.). Sarta igitur ac tecta est tum quoad voluntatis determinationes, tum etiam quoad motus corporis, quos *voluntarios* appellamus, humana libertas (*ibid.* §. 303.); atque hinc meritum quoque, peccata, leges, ea denique omnia, quæ ad mores spectare videntur.

ARTICULUS II.

Harmoniae praestabilitæ systema exponitur.

329. *Def. Systema Harmoniæ præstabilitæ* illud dicitur, in quo commercium animae et corporis explicatur per seriem perceptionum atque appetitionum in anima, et seriem motuum in

Ad 3. Si ad caussae occasionalis naturam pertinet, quod agat vi sua; profecto corpus dici non potest occasionalis caussa modificationum animae. Atqui nihil video absurdi, quod idem corpus dicatur earumdem modificationum caussa occasionalis proxima, ex quo affectum sit dato modo ab alia caussa effectrice: siquidem quaecumque demum sit caussa, quae illud eo modo affecerit, semper verum est, illud ipsum esse ita affectum, et ex quo affectum eo modo sit, consequi in anima laudatas modificationes.

Ad 4. Indignum non est viro philosopho ad Deum tanquam ad naturae auctorem in iis confugere, quorum naturalis efficiens caussa in natura ipsa minime reperitur (Phys. Gen. §. 367.)

in corpore, quae per naturam animae ac corporis harmonicae sunt. Ita Cl. Wolfius (*a*).

330. *Schol.* Tria in hoc systemate explicanda sunt; 1. nempe quomodo perceptionum et appetionum series contingat in anima: 2. cur motuum suorum series in corpore habeatur: 3. demum qui fiat, ut laudatae operationum series harmonicae sint, seu inviolabili lege sibi mutuo ad unguem respondeant, atque consentiant.

Ad primum quod spectat; supponunt Harmonistae, vim quamdam in anima inesse, qua plane independenter a corpore actiones sui generis perenniter eliciat, *Anima*, inquit Wolfius (*b*), *vi sibi propria producit omnes suas perceptiones et appetitiones continua serie*, quin ab ullo omnino alio pendeat externo principio, perinde nempe; ac si neque ejus corpus; imo vero ne ipse quidem hic Mundus existeret. Est igitur velut *automaton* quoddam spirituale, quod ex seipso elicit suas omnes operationes; perceptiones quidem necessario; atque ita, ut ratio sufficiens subsequentis in præcedente contineatur; appetitiones autem libere, non secus ac in systemate influxus physici (*c*).

Alterum quod attinet; etiam corpus vim suam habere supponitur, atque ita a Deo fuisse elaboratum, ut ex legibus motus, et ex objectorum externorum appulsu suas omnes motiones continuata serie producat (*d*) eo ordine ac nexu, ut in præcedente contineatur sufficiens ratio subsequentis, et adeo independenter ab anima; ut motus harmonici perinde fiant; ac si anima ipsa nequaquam existeret (*e*). Corpus itaque est materiale quoddam *automaton*.

Denique consensus operationnm animae et corporis explicatur in hoc systemate, quatenus unaquaeque haec substantia, quin altera ab altera pendeat, ita suam eliciat actionum seriem, ut motiones corporis animae perceptionibus et appetitionibus, et perceptiones animæ corporis motionibus perfecte respondeant (*f*). *Percepiones*, inquam, *animae* nam

(*a*) *Phychol. Ration.* §. 612.
(*b*) *Wolfius Psychol. Rat.* §. 613. 614.
(*c*) *Id. ibid.* §. 631. 632.
(*d*) *Id. ibid.* §. 615.
(*e*) *Id. ibid.* §. 617.
(*f*) *Id. loco citato.*

nam *appetiones in anima non fuere praestabilitae*, inquit Wolfius (*a*); qua de re nonnihil subinde dicemus.

Paucis contraximus celeberrimum *Harmoniæ præstabilitæ* Systema, quod omnium primus velut joco delineavit Leibnitius (*); ut *hypotheticam Commentationem* amplexus est Bulfingerus (*b*), atque hypothesis loco serio proposuit illustravit munivit Cl. Wolfius (*c*), quem sequuti sunt Thummigius, Cantius, Mejerus, aliique. Ex adverso autem steterunt Foucherius (*d*), Bayle (*e*), Lamy (*f*), Clarkius (*g*), Tournemimius, Newtonus, Stahlius, Reinbeckius, Genuensis, atque alii fere omnes. Postremo Winklerus, Boehmius, Baumeisterus, et Gottschedius quamvis putent, solvi posse ea omnia argumenta, quæ adversus Harmoniam praestabilitam congeruntur; videntur tamen esse in systema Influxus physici propensiores.

Censura.

331. 1. Harmoniae praestabilitae Systema, non secus ac malebranchianum (§. 323. *n.* 1.), communi omnium hominum sensui adversatur, cum reale mentis et corporis abrumpat commercium, nihil nempe corpus in animam, atque animam in corpus agere, ex aequo contendat (**).

2. Nemini

(*a*) *Ibid.* §. 630.

(*b*) *Harmon. praestab.*

(*c*) *Psychol. Rat. Sect.* 3. *cap.* 4.

(*d*) *Journal des seavans* 1695.

(*e*) *Art.* Rorarius.

(*f*) *De la connoissance de soi meme*.

(*g*) *Cinq. replique*.

(*) Neque Philosophorum est, *inquit* (Epist. ad Pfaffium), rem serio semper agere, qui in fingendis hypothesibus ingenii sui vires experiuntur. *Pluribi hac super re verba facit Leibnitius* (Princip. philosoph. §. 18. et seqq. Assai sur la Thodicee §. 61. et seqq., Eclaircissemens sur l' union de l' ame et du corps &c.).

(**) *At persuasionem hanc* praejudicium *potius commune dicet Malebranchius*, *vel hebetioris mentis* figmentum *Wolfius* (*loco citato* §. 640.), *quam communem rectumque saniorum hominum sensum*. Est philosophia paucis contenta judi-

2. Nemini persuadebunt Harmonistae, humana corpora, licet mire a Deo fabrefacta, nisi una bruta *mechanismi* vi ea omnia non praestare, quae ab iisdem fieri constanter observamus, adeo ut corpus Wolfii observationes instituisset, demonstrasset propositiones, solvisset problemata, scripsisset libros, cetera effecisset, etiam si nulla unquam in eo fuisset anima. Hoc idem de Tullio, Virgilio Alexandro Magno, ceteris eodem jure dicendum esset. Quod quidem quantum a vero alienum sit, confici ex eo quam facile potest, quod motuum nostrorum ortus, duratio, cessatio, atque intensio leges mechanicas non semel evertant: interdum enim subito ac pernicissime movemur aut subito a motu cessamus, quin ulla praesto sit materialis caussa, quae sive ad motum sive ad quietem nos compellat; nempe tam variae sunt, diversae, contrariae, subitae corporum nostrorum motiones, quantum volitiones ipsæ animae. Imo vero quamdiu voluntas in nobis non inest, corpus non movetur, etiamsi externarum rerum et internarum circumstantiae, puta paratus cibus et famis, quantum ad ipsum corpus attinet, hujus motum requirere et excitare videantur. Sufficientem id genus phænomenorum rationem ab Harmonistis postulamus, quæ in una sita sit corporum structura, conflictu, viribus, effluviis, mechanismo.

3. Nemo etiam sibi rem serio agenti, vel aliis persuadebit, sufficientem perceptionis subsequentis rationem in praecedente contineri. Sumat quis in manus lexicum, ut proposito a Cl. Genuensi utamur exemplo, in eoque hæc verba legat. *Aper*, *Aristides*, *Bucephalus*, *Lepus*, *Quadratum*, alia. Totidem, iisque vocabulis respondentes in mente excitantur perceptiones. Sed numquid ratio sufficiens notionis *Aristidis* in notione *Apri* continetur, notionis *Bucephali* in notione *Aristidis*, atque ita porro? Est, inquis, sufficiens ratio; sed non

judicibus multitudinem ipsa consulto fugiens, eique ipsi et suspecta et invisa, *inquiebat Tullius* (qq. Tusc. lib. 2. cap. 1.) *Verum cum recedendum minime sit a sensu communi, nisi huic repugnent momenta satis valida ac perspicua, cumque haec non deesse putemus in caussarum occasionalium systemate, plane autem deficere in systemate harmoniae praestabilitae; idcirco laudatus communis sensus non urget prius illud sytema, urget autem hoc alterum.*

non eam dignoscimus. Quid? Ut a communi hominum sensu recedamus, ac nova Philosophis persuadeatur doctrina, rationes perspicuae et inconcussae, vel saltem probabiles reddi debent, non unis agendum assertionibus, quae sicuti efferri pro libito, ita etiam pro libito contemni negarique non injuria possunt. In hac eadem hypothesi ne reddi quidem potest ratio sufficiens perceptionis *omnium primae*: eo namque ipso quod sit in alia prima omnium, sufficientem sui rationem non habet praecedente. Sed neque in corpore cum nulla omnino perceptio ab eodem dependeat: neque in Deo, cum si id esset, hoc idem non saperet nisi systema caussarum occassionalium, neque demum in humanae mentis natura: cur enim reliquae subsequentes perceptiones non in illa ipsa mentis natura, sed in perceptionibus praecedentibus laudatam sufficientem sui rationem habere dicendae sunt?

4. In hoc systemate ratio sufficiens, petita ex ipsa rerum natura reddi nequit, cur animae et corporis operationes harmonicae sibi invicem sint, sed ad Deum confugiendum omnino est. Corpus enim suam motionum seriem, suamque perceptionum et appetitionum elicit anima, licet alterutra ex hisce substantiis non existeret, proindeque etiamsi utriusque operationes sibi mutuo nullatenus consentirent. Unde ergo derivanda operationum animae et corporis harmonia? nempe a Deo, qui, ut ait Wolfius (*a*), *harmoniam praestabilivit, quatenus animae junxit corpus, quo existere potest series motuum perceptionibus et appetitionibus animae consentientium*. At in subsidium Deum vocare ubi expediri effectus naturales debent, vel ipse Wolfius in *caussarum occassionalium* systemate omnino reprobat (*b*). Saltem in hoc systemate si Deus supernaturaliter seu vi gratiae animam modificat, debet etiam supernaturaliter modificare corpus, uti scribit idem Wolfius (*c*); quod tamen non fieret in systemate influxus physici: quippe anima supernaturaliter affecta, vi naturali produceret motus in corpore; et corpus affectum supernaturaliter, vi naturali determinaret animam ad perceptionem.

5. Ad

(*a*) *Psycol. Rat.* §. 624.
(*b*) *Ibid.* §. 639.
(*c*) *Ibid.* §. 642.

5. Ad *Idealismum*, in quo negatur cujusvis corporis existentia, recta manuducit *Harmoniae praestabilitae* systema. Unde enim et quibus probabis, corpora existere? Non equidem ex ideis, quas de ipsis habemus, neque ex perceptionibus sensationibusque aut ex proprio uniuscujusque interno sensu seu conscientia: iisdem quippe atque eodem prorsus modo prædita esset mens nostra, licet non tantum hoc nostrum corpus, sed ipse etiam adspectabilis hic Mundus nequaquam existeret (§. 330.). Sed neque ex communi aliorum hominum sensu, aut ex sacrarum Scripturarum auctoritate. Quid enim, si homines ullos existere, vel sacras Scripturas unquam fuisse, neget Idealista?

6. Ad *Egoismum* quoque, in quo negatur ceterarum rerum extra mentem existentia, pari passu nos manuduceret Hypothesis leibnitiana. Qui enim animorum aliorum hominum et Brutorum existentia probari unquam poterit? quippe externæ eorumdem actiones, prætérquamquod certo constare nobis non possent, ut antea observavimus (*n.* 5.); nihil etiam haberent cum interno spiritali principio commune, si perinde fierent, ac si nulla omnino in ipsis extitisset vel existeret anima. Sensus intimus, quem de existentia internarum suarum affectionum quisque habet, propriæ quidem animæ, sed non animæ, aliorum existentiam probaret: nemo enim habere potest intimum sensum nisi de existentia illarum affectionum, quas in seipso experitur (*Log.* §. 381. 383.). Quare si unus excipiatur Deus, ad cujus existentiæ notitiam etiam ex sola sui cognitione pervenire potest mens nostra; res ceteras non esse nisi in unis nostris ideis sibi persuadebit Egoista, vel saltem aliunde patentissimus hic ejusdem error refelli in leibnitiana Hypothesi nullo omnino argumentorum genere unquam posset (*).

332.

(*) *Dices fortasse, aliarum rerum sive corporum sive spirituum existentiam nobis ex eo constare, quod mens creata sit cum* idea *totius Universi, seu cum* mappa, *ut vocant,* cosmographica, *quae paullatim se se evolvat, quaeque, utpote a Deo menti nostrae impressa, sicut divinis ideis, ita etiam rebus ipsis extra nos positis ad amussim respondeat. Hinc porro* idea *illa corporum, motuum, spirituum, ceterorum*

332. *Schol.* Praeter hactenus dicta, persuasum nonnullis est, humanam indifferentiæ libertatem in hoc systemate susque deque everti. Pauca dicamus. Libertas alia ad internas pertinet nostræ voluntatis actiones, ceu sunt vel, odium, amor, similes, et alia ad externos corporis motus, quos *voluntarios* vulgo adpellamus, velut scribere, edere, sedere, ambulare.

---

rum invictissimo nobis esset argumento, quod res illae reapse existant. Tum licet rerum ideas sibi cuderet mens nostra plane independenter a sensibus; divina tamen bonitas non sineret, ut quoad illas ipsas externas res in perpetuo errore versemur.

At frustra: imprimis enim plura sunt, quae assertam a Leibnitio totius Universi ideam *menti nostrae a Deo impressam demonstrant fictitiam, uti suo loco videbimus* (§. 405.) *Tum haec* mappa, *ejusque evolutio nihil omnino pendent a rebus ipsis corporeis, adeo ut tametsi istae non existerent, illae eodem plane modo eademque ratione se se haberent. Quo igitur jure ex laudata hujus Universi idea seu mappa inferri possit realis sive corporum sive spirituum existentia, ego sane non video.*

Sed neque summa Dei bonitas Harmonistis prodesse posse videtur. Principio namque in hac hypothesi omnes nostrae de hujus mundi rebus scientiae atque artes physicae in unam Dei bonitatem ac fidem tandem refunderentur: sicuti enim quilibet naturalis ideas inter resque ipsas nexus abrumpitur; ita etiam aufertur quodvis naturale de physicis veritatibus criterium. Ita ne vero? Tum non minus de aliarum rerum existentia affectionibusque, quam de mutua animae in corpus, et corporis in animam actione ideam habemus. Si ergo summam Dei bonitatem non dedecet, quod mens nostra circa mutuam hanc actionem perpetuo decipiatur; ne dedecere quidem dicet Egoista vel Idealista, quod ipsa circa aliarum quoque rerum existentiam in perpetuo errore versetur. Si dixeris, errorem illum nobis esse adscribendum, quod non, uti par est, corporis ac mentis naturam scrutemur; hoc idem Egoista dicet vel Idealista. Anima est, inquiet, quae, quin a corporibus aliisque creatis rebus vel minimum pendeat, de illis ipsis ideas sibi cudit

re. Utrique adversari plane hoc systema, Storchenau (a), aliique cum ipso plures opinati sunt. Nobis videtur, quod prior sarta tecta consistat, si quidem una ipsa spectetur *Harmonia praestabilita*, qualem exposuit docuitque Christianus Wolfius. Asserit enim (b), *appetitiones* animæ (quo nomine *volitiones* quoque et *nolitiones*, non equidem satis adcurate, passim intelligit) non fuisse a Deo in gratiam corporis præstabilitas, sed ipsa animæ vi nasci ex perceptionibus secundum appetitus legem, non secus ac in systemate influxus physici (c); tum animam non esse per essentiam suam ad ullum ex possibilibus determinatam; bene vero suapte sponte eligere, quod ipsi placet (d). Sua igitur voluntati humanæ constat libertas; nulla siquidem sive extrinseca sive intrinseca vi ad suas volitiones compellitur. Non ratione Harmoniæ praestabilitae, cum volitiones praestabilitae nequaquam fuerint; non vi proprii corporis, cum corpus haud agat in animam; non divina praescientia, cum hæc nullam neces-

(a) *Phychol.* §. 191. 192.
(b) *Phychol. Rat.* §. 630.
(c) *Ibid.* §. 631.
(d) *Ibid.* §. 632.

dit et perceptiones. Nos ipsi nos decipimus, qui ea existere judicamus, de quibus notiones habemus, quin tamen ulla ipsas inter et earumdem objecta intercedat necessaria connexio. Quid ad haec Harmonistae? Paullo aliter sese res habet in systemate caussarum occasionalium; in eo siquidem non plane abrumpitur naturalis ideas inter res ab iis repraesentatas connexio: illae namque ab his tanquam ab occasionibus necessario requisitis dependent, et sicut divina bonitas adeo mire construxit ac disposuit organa sensoria, ut animo referrent veritatem, nosque minime deciperent perpetuo, nec necessario in errore detinerent, ita eam legem constituit, ut consentanee ad rerum corporearum motiones affectiones occasiones in eodem animo illarum ideae excitarentur; quae quidem bonitas divina cum sit Deo prorsus essentialis, certiores nos reddit de rerum physicarum veritate, quam de eodem certos nos ipsos reddat sensuum testimonium ab influxu physico derivatum.

necessitatem ex se inferat creaturis; non denique ipsius animae vi, cum non sit per essentiam suam ad unum potius quam ad aliud determinata. Si nihilominus alterum spectemus Wolfianæ doctrinae principium, hoc est, *objectivam* rationem sufficientem, quam unam etiam in caussis liberis inesse contendit idem Wolfius. (*Ontol.* §. 218.), plurimum veremur, ne ulla omnino in nobis superesse possit libertas (*ibid.* §. 220.). Hoc itaque ex capite dici fortasse non injuria posset, leibnitianum systema a fato aut vix, aut ne hilum quidem discriminari. Saltem notum est, celeberrimum Svecorum Regem Carolum XII. post auditum in Germania Leibnitium, Fatalismum fuisse amplexatum (*a*).

333. Quantum vero attinet ad motus corporis, profecto non tam facile sese expediet Christianus Wollfius. Non enim liberi ex se sunt, cum corpus qualibet cujusvis generis et nominis libertate pœnitus destituatur. Sed neque ratione animæ, nisi motus illi a voluntate penderent; unde idem Wolfius appellat *voluntarios*, qui a voluntate pendent; pendere autem asserit (*b*), *quatenus per eam intelligitur, cur jam fiant, seu ratio ipsorum est volitio animae*. Atqui vero animæ volitio non est ratio seu caussa, cur laudati motus consequantur in corpore. Non quidem *physica et actualis*: anima enim non agit in corpus, et motus illi perinde fiunt ac si nulla anima in eodem unquam fuisset. Sed neque est *moralis* caussa seu *occasionalis*, scilicet ii ipsi motus non fuerunt a Deo determinati intuitu liberarum volitionum animæ (si quidem liberae sunt), quas idem Deus praevidit futuras. Et sane docet idem Wolfius (*c*), corpus, in quo harmonicorum motuum series fit, non modo supponi *possibile* citra relationem ad animam, verum etiam non fuisse *effectum* juxta perceptionum et appetitionum ejusdem animae seriem; *neque corpus*, inquit, *effictum est juxta seriem perceptionum et appetitionum animae, neque anima juxta seriem motuum corporis*. Igitur harmonici corporis motus non fuerunt a Deo in volitionum animae gratiam in eodem praestabiliti. Hinc illi ipsis motus futuri reapse fuisent in corpore, ex doctri-

na

(*a*) *Nicolai Lesioni tom.* 2. *pag.* 289.
(*b*) *Psychol. Empir.* §. 936.
(*c*) *Phychol. Rat.* §. 625.

na ejusdem Wolfii, quamvis nulla unquam in ipso extitisset anima, aut esset extitura. Cum itaque anima non sit neque *physica* neque *occasionalis* motuum sui corporis caussa; dici sane non potest quoad ipsos libera. Quod quidem adeo sponte velut sua ex statuto Harmoniæ praestabilitae systemate descendit, ut Wolfius ipse quamvis in sua *Psychologia Empirica* motus illos adpellaverit *voluntarios*, docueritque a voluntate pendere; ubi tamen de laudato systemate ex professo in sua *Psychologia rationali* agit, eosdem vocet *necessarios* (a).

334. Aliquid difficultatis super hactenus exposita Wolfii mente praebere fortassis posset hic idem postremus locus, ubi scribit, Deum vi sapientiae suae decrevisse animam *hanc* cum *hoc* corpore in hoc rerum nexu producere, ac re ipsa produxisse eo quod vi suæ praescientiae noverit futuras omnes liberas ejusdem animae volitiones, et respondentes motiones corporis. Tum subdit: *pone, Deum præscivisse ab aeterno, qualem motum corpori jam sit imperatura anima, Cum praescentia Dei fallere minime possit, necesse est, ut hunc, non alium motum corpori imperet, quem Deus praescivit.* Verum nihil omnino heic video, quod insinuet, Deum motus in hoc corpore in gratiam volitionum animæ statuisse. Priora siquidem Wolfii verba tantum innuunt, harmonicas a Deo previsas corporis et animæ operationes fuisse in caussa, cur Deus ipse *hanc* animam et *hoc* corpus reapse *produceret*, vel etiam, si mavis, simul *copularet*; uti paullo superius docuerat (b). Porro aliud est motus praestabilire in gratiam volitionum animæ: et aliud, suppositis iisdem motibus, utramque hanc substantiam, corpus et animam condere, aut etiam simul sociare. Hoc alterum nihil nostra, qui de liberis motibus loquimur, in quorum proinde existentiam aliqua saltem ratione influere debet humana libertas. Verba autem posteriora non indicant, Deum vi præscientiæ suæ praestabilivisse motus in corpore intuitu liberarum volitionum animæ quod hoc loci inquirimus, sed tantum divinam praescientiam non efficere, ut anima motus illos necessario suo corpori imperet; seu quod perinde est, divinam praescientiam non

effi-

(a) *ibid.* §. 633.
(b) *ibid.* §. 682.

efficere, ut anima motus illos necessario suo corpori imperet, seu, quod perinde est, divinam praescientiam non laedere humanam libertatem quoad suas volitiones et nolitiones; quod equidem ad rem non pertinet, de qua disputamus.

335. Porro ex quo nulli omnino corporis nostri motus sint liberi, plura sequuntur, quae morum doctrinae non plane congruunt. Sequitur 1. motus corporeos seu opera nihil ad meritum et ad praemium vel poenam conferre (*) 2. Ecclesiam frustra clamare cum Apostolo (*a*): *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram.* Videsis cetera apud Monteirum (*b*), et Fortunatum a Brixia (*c*).

336. Alterum absurdum in hoc systemate adnotamus. Ex Leibnitii Wolfiique doctrina, perceptiones (idem de judiciis et ratiociniis dictum sit) adeo inter se connectuntur, ut *ratio sufficiens* subsequentis in antecedente contineatur. Posita autem ratione sufficiente, poni etiam et quidem necessario debet *rationatum* (*Ontol.* §. 21. *Canone II. et Annot.*). Nulla igitur in homine est vel esse potest quoad operationes intellectus sui libertas. Neque vero voluntatem libere elegisse dixeris primam perceptionem, ex qua aliae serie continuata procederent, atque ideo sequuturam ipsam seriem aliquo saltem modo esse liberam. Quandoquidem electio haberi sine perceptione non potest, cum non eligat voluntas, nisi quod intellectus praenoverit. Itaque perceptionem omnium primam sibi eligere pro libito non poterat voluntas nostra; eo vel maxime quod nullum tum fuerit libertatis exercitium,

quum

(*a*) *Ad Coloss. cap.* 3. *v.* 5.

(*b*) *Met. part.* 2. *n.* 546. *et seqq.*

(*c*) *Met. part.* 2. Dissert. 2. sect. 3.

(*) *Dices fortasse, nihil referre, quod plane omnes nostri corporis motus sint omnino necessarii. Ad meritum, et ad proemium vel poenam sufficere potest animae quoad suas volitiones libertas. Nihil refert! An tu eamdem mercedem contuleris homini, qui animo tantum velit agrum tuum excolere, quam illi, qui etiam opere excoluerit? an idem supplicium, sive quis corde dumtaxat conceperit homicidium, sive re ipsa illud patraverit? Apage novum id genus legum, justitiae, ac juris codicem.*

quum prima perceptio in mente, non adhuc ad rationis usum venta, exorta est. At vero quis unquam nesciat, voluntatem ita etiam in intellectum dominari, ut ipsum in una potius quam in alia cogitatione non semel figat, aut ab una potius quam ab alia pro libito distrahat? Hinc cognitiones contemplationesque poenam vel praemium sibi a Deo interdum promereutur; quod quidem esse non posset, nisi ipsae aliqua ratione libero subessent voluntatis imperio. Dicta sufficiant.

ARTICULUS III.

Exponitur Systema Influxus physici.

337. *Def.* *Systema Influxus physici* seu *causalitatis* vel etiam *caussarum efficentium* est illud, in quo operationum mentis et corporis consensus per mutuam, veram, realem, hoc est, physicam utriusque actionem explicatur.

338. *Schol.* In hoc systemate supponitur, mentem et corpus vi effectrice (*Ontol.* §. 287.) donari, qua unaquaeque ex his substantiis in alteram reapse ac mutuo agat, indeque nonnullae utriusque operationes harmonicae sint, hoc est, sibi invicem ad amussim consentiant. Fere communis hic fuit, atque etiam nunc temporis est non modo plebejorum hominum sed etiam Philosophorum sensus. Non unam tamen atque eamdem viam omnes inierunt, ut physicum hunc influxum explicarent: Peripatetici et Scholastici, quos *Influxionistas rigidos* adpellamus, quibusque inter Recentes assentitur P. Jacquier (*a*), putarunt, *entitatem* quamdam, ut ajunt, seu *realitatem* ex corpore transire in animam, in eaque *spiritualem* evadere, et ex anima in corpus transfundi, in eoque reddi *materialem*. Quibus mediis, et quonam modo id fieri opinentur Scholastici, dicemus postea, ubi de ideis (§. 460). Hoc in sensu Influxum physicum usurpat Wolfius (*b*), et, ut ipsi quidem videtur, refellit. Alii vero, quos *mitiores Influxionistas* vocamus, cum animadverterent, hanc virium metamorphosim non solum intelligi vix posse, sed etiam ferme repugnare; dum fatentur, corpus in animam et animam in

(*a*) *Met. part.* 2. *cap.* 2.

(*b*) *Psychol. ration.* §. 558. 567. *et* 568.

in corpus physice agere, simul negant, *realitatem* ullam ab una subsantia transire in aliam, in eaque transformari. Quin imo non desunt, qui putaverint, ne in ipsa quidem motuum communicatione aliquam fieri sive vis motricis, sive alterius cujuscumque *entitatis* transfusionem in corpora, quæ in se invecem physice agunt, sed unam dumtaxat in ipsis haberi ad motum *determinationem*. Hoc sane modo in res creatas physice agit Deus: neque enim quidpiam ex ejus sive substantia sive viribus in creaturas transfundi dicendum est. Si Influxus physici systema, saltem præ ceteris, nobis adrideret, non alio profecto in sensu ipsum usurpandum esse diceremus. Georgius Stahlius animam quidem physice agere in corpus docet, sed non corpus in animam; scilicet ex parte physicum hunc Influxum approbat, ex parte rejicit. Oti etiam Avicembrom apud Malebranchium (*a*), Moniglia (*b*), et P. Carolus Vitalis (*c*). Omnes tamen fatentur, nos modum latere, quo hic Influxus perficiatur. Unus est P. Antonius Cavensis, qui modum hunc, sed rudi admodum hypothesi explicare, vel potius illustrare tentaverit (*).

Mo-

(*a*) *Illustr. ad cap. 3. partis 2. lib. 6.*

(*b*) *Contro i Fatalisti part. 1. lez. 2. §. 19.*

(*c*) *Lex virium in materiam dominatrix n. 19.*

(*) Unio, (Met. tract. 4. part. 2. cap. 1.) inter mentem et corpus commode explicatur per contactum simplicium principiorum cum anima; nam substantiarum unio physica illa admittenda est, quæ et concipi potest, quæque nullum involvit absurdum hinc duo corpora simul uniri minime repugnat, quia utraque et quanta sunt, et divisibilia, et partibus componuntur; porro idem est, si simplicissma anima cum simplicismo, et individuo corporis principio jungeretur; nam si non repugnat, compositum cum alio composito uniri, neque repugnabit, simplicem substantiam eum simplice jungi. *Rudis, inquam, est haec hypothesis, atque ut in bono lumine collocetur, plura alia in subsidium vocari, explicari, firmarique accurate deberent; scilicet primorum principiorum corporum simplicitas; modus, quo haec ipsa principia simul uniuntur; vires, quibus praedita sunt, quibusque in se invicem agunt; ea, in quibus cum laudatis*

prin-

Momenta praecipua, quibus Systema Influxus physici probari, vel saltem aliis ceteris praeferri vulgo solet.

539. Inprimis communi hominum sensui, quibus persuasum ex ipsa velut Naturae institutione est, animam movere corpus, et corpus animam ad suas eliciendas sensationes reapse determinare, mirum in modum consonat hoc systema; a quo quidem communi sensu non minus Occasionalistae quam Leibnitiani nullo vel saltem non satis probato operae pretio abscedunt (§. 327. 331.).

2. Communis est penes saniores Philosophos Canon, nempe illud censeri debere veram dati effectus caussam, quo posito vel sublato, aucto vel imminuto, ipse etiam effectus perpetuo constanterque ponitur vel tollitur, augetur vel imminuitur. At haec omnia deprehendi inter harmonicas corporis nostri nostraeque animae operationes, profecto nemo unus negaverit (§. 317. et seqq.). Nostrae itaque volitiones vera caussa censendae sunt motuum corporis, quos *voluntarios* dicimus, et corporis motiones vera caussa, non tamen efficiens sensationum animae, seu, quod perinde est, illae vim corporis ad motum determinant, istae vero determinant vim animae ad sensationes.

3 In hoc systemate illa omnia, eaque gravissima vitantur incommoda, quibus ceterae aliae hypotheses vehementer premuntur (§. 327. 331. et seqq.). Intelligi enim facile potest, cur discernamus quantum intersit inter eas corporis motiones, quas mens nostra sibi videtur vi sua producere, atque eas, quarum non est nisi occasionalis caussa: ad nudam non confugimus Dei voluntatem; petita ex ipsa rerum natura redditur sufficiens ratio non modo operationum mentis et corporis, sed mutui etiam earumdem consensus: Idealismus et Egoismus nullo negotio refelluntur: denique sarta tecta est motuum corporis, quos *voluntarios* appellamus, tum

principiis convenit, et in quibus cum iisdem non convenit mens nostra; quomodo illa, in quibus anima non convenit, non obstent, quo minus ea, in qaibus convenit, se mutuo excitent, atque ad operandum determinent. Mittimus cetera., quae sicuti maximi momenti sunt, ita etiam definiri neque tam facile neque tuto possunt.

tum quarundam perceptionum judiciorum et ratiocinationum libertas, meritum, praemium, vel poena (*).

Momenta, quibus refelli solet systema Influxus physici.

Ad tria veluti capita redigi possunt ea omnia argumenta, quibus hujus systematis falsitas, si diis placet, demonstratur. Ad primum pertinent, quae mutuam et physicam corporis et animae actionem universim negant; ad alterum, quibus actio animae in corpus impetitur; ad postremum tandem, quorum vi actio corporis in animam exsibilatur. Sit itaque

Objectionum caput primum.

340. 1. Clara in nobis non inest idea vis, qua anima agat in corpus, et corpus in animam, inquit Malebranchius (*a*).

2 Intelligi nequit modus, quo anima et corpus, substantiae nempe toto coelo diversae in se invicem physice agant. Hinc, concludit Wolfius (*b*), systema influxus physici est *terminus inanis*.

3 *Qui explicandi commercii inter animam et corpus intercedentis, animam in corpus, et vicissim corpus in animam agere, modum agendi ignorari affirmat; ei nullum de hoc commercio systema est*, inquit idem Wolfius (*c*). Nam hi Philosophi *actionis corporis in animam non aliam habent notionem, quam quae coexistentiae mutationum in organo sensorio, et mente respondet, nec alia ipsis est actionis in corpus notio, quam quae volitionum animae et motuum in corpore, itemque nolitionis ac cessationis motus in eodem cor-*

(*a*) *Illustr. ad cap.* 3. *partis* 2. *lib.* 6. *in Respons. ad objectionem sextam.*

(*b*) *Psychol. Rat.* §. 83. (*c*) *ibid.* §. 556.

(*) *Sed isthaec nobis quidem videntur minus valida. ad* 1. *siquidem quod attinet, innuimus superius* (Annot. ad §. 327), *non deesse rationes, cur ab asserto communi hominum sensu recedendum prudenter sit.*

Ad 2. *etiam caussa occasionalis est hujusmodi, ut ipsa posita, ponatur effectus, illaque sublata, hic quoque tollatur* (Phys. Gen. §. 358).

Ad 3. *Icommoda adversus systema caussarum occasionalium objecta jam antea dissipavimus* (Annot. ad §. 327). *At vigent, quae adversus corporum vim activam et effectricem proindeque etiam contra systema influxus physici attulimus in Phy sis. Generali* (§. 351, 352).

corpore coexistentiae convenit. Affirmantes itaque, concludit, *mutationes in anima et corpore coexistere, quia in animam corpus agit, et volitiones atque nolitiones in anima et motus atque cessationes motuum coexistere, quia in corpus anima agit, nil quidquam aliud dicunt, quam mutationes in anima et corpore coexistere in utroque casu, quia coexistunt*.

4 Naturae ordo postulat, ut eadem virium vivarum quantitas in hoc Universo semper conservetur. Sed haec plane evertitur in systemate influxus physici. In eo siquidem vis quaedam motrix ex corpore transit in animam, in eaque transformatur in aliam, et ex anima vis quaedam transit in corpus, et in eodem in motricem abit. Ita idem Wolfius (*a*).

341. *Respondent Influxionistae, et quidem ad* 1. Si de naturae vi qua anima et corpus in se invicem agunt, sermo sit, fatentur ingenue, se nullam claram ideam distinctamque de eadem habere. Verum ipse etiam Malebranchius perspicuam non habet ideam de pluribus, quae tamen pertinere ad mentem nostram rotundis verbis concedit: scilicet non de mente ipsa; non de naturae ejus vi, qua impressionem a Deo acceptam ad particularia bona nos *ipsi* determinamus; non de libertate; non denique de quavis alia ejusdem animae modificatione (*). Imo vero nec alius quisque fortasse est mortalium, qui naturam virium sive corporum sive spirituum noverit perspicue. Arcana haec sunt, circa quae humanum ingenium frustra desudat. Quapropter satius sit compertam nobis esse earumdem virium existentiam. Existere autem vim, qua anima agat in corpus et vicissim corpus in animam, ex iis pluribus sibi persuadent Influxionistae, quae pro sua opinione in medium adducunt.

342.

(*a*) *ibid.* §. 578.

(*) Nous n' avons point d' idee claire de nôtre liberté... Comme nous ne connoissons point nôtre ame par una idée claire ... c'est en vain que nous faisons effort pour découvrir ce qui est en nous qui termine l' action que Dieu nous imprime... Nous n' avons point d' idée claire d' aucune modification de nôtre ame (Prem. Eclairciss. sur le prem. chap. du liv. 1.).

342. *Ad* 2. Modum etiam ignorari, quo corpus et anima in se invicem agant, omnes fatentur. Sed quid tum inde? Explicet nobis Malebranchius, quoniam modo Deus et animam et corpus modificet: quique fiat, ut anima velit, nolit, sese determinet. In harmoniæ præstabilitæ systemate *incomprehensibilis* nobis est corporis mechanismus, inquit Wolfius (*a*): *incomprehensibilis* sufficiens ratio seriei perceptionum in anima, et motuum in corpore (§. 331. n. 2. et 3.); *incomprehensibilis* demum modus, quo corpora in se invicem physice agant. Haec itaque difficultas omnia alia systemata ex aequo urget, proindeque haec etiam dici possent ac deberent *inanes termini*: Ceterum *numquid ideo negandum est, quod apertum est*, inquit S. Augustinus (*b*), *quia comprehendi non potest, quod occultum est? numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus invenire?*

343. Non defuerunt, qui velut plane *impossibile* traduxerint systema influxus physici. Sed prorsus temere, si vel ipsum Christianum Wolfium audiamus (*c*). Profecto nemo unquam ostendere potuit, omnino repugnare, quod anima agat in corpus, et vicissim corpus in animam. Et ad primum quod spectat; motus corporum, cum haec sint per se inertia, poterit quidem aliis corporibus communicari, sed tamen primam sui originem in spiritualem substantiam refundat necesse est. Tum Deus, qui est purissimus spiritus, potest movere corpora, eademque modificare, hoc est, physice in ipsa agere: effectus enim physicus physicam habere debet sui ipsius caussam. Cur ergo menti nostrae hoc idem repugnabit? Ex quo sit finita, non propterea quamvis agendi vim a se prorsus excludit: secus enim voluntas nostra non determinaret sese, non vellet, non ageret, non esset libera.

Hinc porro sequi videtur, ne repugnare quidem, quod corpus physice agat in animam, Eadem quippe est inter animam et corpus, atque inter corpus et animam proportio. Tum

(*a*) *Psycol. Rat.* §. 637.
(*b*) *Lib. de dono persev. n.* 37. *alias cap.* 14.
(*c*) *loco citato* §. 575.

Tum unio mentis et corporis mira est arctaque adeo, ut binae hae substantiae majorem habeant inter se nexum, quam duo quaevis corpora habere inter se possunt. Denique non sunt ipsae substantiae, quae seipsis spectatæ agant, sed ipsarum vires, quae neque corpus sunt neque materia. Si itaque non repugnant, quod anima per suas vires physice agat in corpus, cur repugnabit, quod corpus in animam per suas agat? si animae vires afficiunt vires corporis, cur corporis vires non poterunt vires animae aeque afficere ac determinare? Ita Influxionistae.

344. *Ad* 3. Falsum porro est, Influxionistas, qui modum, quo anima agit in corpus et corpus in animam, se ignorare affirmant, non aliam habere de hoc commercio notionem, quam quae operationum mentis et corporis coexistentiae respondet: quandoquidem norunt, ut ipsis quidem videtur, etiam mutuae laudatae actionis existentiam; quae certe mutua actio a coexistentia ipsa operationum utriusque substantiae distincta omnino est atque diversa; etenim memorata operationum coexistentia est actionis mutuae effectus, velut si duo corpora in se invicem agerent, et per mutuam hanc actionem motus utriusque sibi ad amussim responderent. Qui itaque affirmant, operationes mentis et corporis coexistere, hoc est, sibi consentire, quia anima agit in corpus et corpus in animam, non asserunt, ipsas *coexistere quia coexistunt*, ut falso putat Wolfius, sed aliam planeque distinctam caussam hujus coexistentiae seu consensus operationum, videlicet *actionem mutuam* adsignant.

345. *Ad* 4. Maxima est Wolfii confidentia, dum ex virium *vivarum* quantitate infirmari posse systema influxus physici sibi tam facile persuadet. Impris enim non omnes quod ad virium *vivarum* notionem inter se conveniunt (*); imo vero ipsas a *motu* non distingui, praesertim adversus Leibnitium de-

(*) *Vires mortuae sunt conatus ad motum, qui tamen ob praesens impedimentum effectum suum non consequitur, velut cum lapis fune suspensus est, ne cadat. Vires autem* vivae *eæ dicuntur, quae conjunctae cum actuali motione sunt, velut cum idem lapis in terram re ipsa dilabitur. Sed hac super re rursus alibi.* (Phys. Gen. §. 919. 920).

demonstrare conati sunt Recentiores. 2. Quidam negant, eamdem harum virium seu motus quantitatem in Universo constanter servari, cum vel ipse Wolfius ostenderit contra Cartesium (*a*), non in quovis corporum conflictu quantitatem eamdem permanere; quod quidem colligi potest ex iis, quae alibi opportunius disserimus (Psys. Gen. §. 958. et seqq.) 3. Eamdem quidem permanere arbitrantur plures Mechanici, sed tantum in unis corporum conflictibus. 4. Si vis quaedam motrix perit, dum corpus agit in animam; dum anima in corpus agit, eadem ipsa aliquo saltem modo restauratur. Ceterum ratio, qua probat Wolfius, in hoc systemate non eamdem virium vivarum quantitatem semper servari, unos ad summum urgere potest rigidiores influxionistas; nam mitiores concedunt, nullam *realitatem*, *vim* nullam ex anima transfundi in corpus et ex corpore in animam, atque in aliam omnino diversam abire (§. 338.)

Objectionum caput alterum.

346. 1. Necessaria effectum inter et ejus caussam intercedere debet connexio, inquit Malebranchius (*b*). Sed necessariam hanc connexionem inter voluntatem movendi brachium et brachii motum non dignoscimus, quam tamen inter motum illum et voluntatem Dei compertam habemus: concipi enim nequit, Deum velle moveri corpus, quin illud reapse moveatur; quod tamen concipi potest, si humana voluntas spectetur. Itaque anima non movet corpus.

2. Ut anima corpus moveat, opus habet spiritibus animalibus, eosque dirigere versus nervos et musculos debet, ut inflentur, et contrahantur. At plures sunt homines, quos etiam latet, num hasce sui corporis partes habeant. Quomodo igitur poterunt brachium movere? Ita argumentatur idem Malebranchius (*c*), et cum ipso Verneius (*d*). Ne ab Artifice quidem construi potest machina, cujus ingenium et ideam non antea in mente habuerit.

3. Ut motus ab anima impressus spiritibus animalibus, qui in cerebro resident, communicari iis possit, qui in nervis bra-

(*a*) ***Mechan.*** §. 386.

(*b*) *De inquir. verit. lib.* 6. *cap.* 3.

(*c*) *ibid. et Illustr. in hunc ipsum locum* ***Respons. ad objectionem sextam.***

(*d*) *De re physica lib.* 8. *part.* 6. *cap.* 2.

brachii sunt, oporteret innumeras fieri motuum communicationes juxta infinitos concursus, infinitasque corporum, seu spirituum animalium impulsiones, quae ad ipsius brachii motum requiruntur. Id autem concipi nequit, nisi ad minimum motum corporis volitiones innumerae in mente adstruantur. Ita Malebranchius (*a*).

4. *Effectus*, inquit Bulfingerus (*b*), *non dependet a viribus cum effectu quoad proportionem incomparabilibus; atqui vires animi, et corporis motus sunt quoad proportionem incomparabiles: ergo effectus, quales in corpore movendo experimur, non procedunt a viribus animæ*.

5. Motus corporis est successiva ejusdem in spatii partibus *collocatio*. Haec autem non est nisi corporis in iisdem partibus spatii *existentia*. Haec demum existentia est ipsius corporis *conservatio* in laudatis spatii partibus. Atqui non anima, sed solus Deus corpus conservat: conservatio enim est, uti ajunt, *continuata creatio*, et creatio a secundis caussis provenire non potest. Igitur anima nequit spiritus animales, nervos, muscolos, verbo, corpus movere. Ita ferme Vernejus (*c*) Malebranchium, et Purchotium sequutus.

347. *Respondent Influxionistæ ad* 1. Non illa profecto, inquiunt, voluntatem nostram inter et motum proprii corporis, qualis inter voluntatem Dei et ipsum motum, intercedit connexio: repugnat enim non haberi motum, quem Deus vult; non autem repugnat, motum non produci, quem vult mens nostra, cum hujus potentia, actus, effectus, omnia Dei, hoc est, primae caussae imperio omnino subsint. Sed altera est connexio, quam creaturae seu caussae secundae cum suis effectibus habent. Est quidem a Deo dependens; sed tamen ejusmodi, ut res creata dici non injuria possit vera ac proprie dicta suorum effectuum caussa: quidquid enim agit, universim caussa est. Si postremam hanc connexionem menti nostrae adimeret Malebranchius, neget quoque necesse esset, ipsam agere, velle, sese determinare; quod neque praestitit vir Cl. (*Ontol.* §. 298.), neque prae-

(*a*) *Illustr. in cap.* 3. *part.* 2. *lib.* 6. *Respons. ad objectionem sextam*.

(*b*) *Dilucidat. philos.* 327.

(*c*) *Lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 3.

praestare poterat, quin simul omnem omnino humanam proprie dictam libertatem e medio tolleret. Atqui haec ipsa connexio, inquiunt, inter voluntatem nostram movendi corpus, et ipsum ejus motum intercedit.

348. *Ad* 2. Hoc alterum Malebranchii argumentum petitur ab ignorantia modi, et mediorum, quibus mens nostra, ut corpus moveat, uti deberet. Verum hæc ignorantia nihili facienda est (§. 341. 342.). Scilicet distinguendum est duplex caussarum genus; aliae nempe virtute omnino sua et a nullo accepta operantur, uti est solus Deus; et aliae per vim aliunde ipsis concessam, quales sunt creaturae. Deus, quem nihil latet, res omnes et modos, quibus effectus produci possunt ac debent, comprehendat necesse est. Non ita vero caussae secundae: quippe ad caussae universim spectatae notionem necessaria non est cognitio, sed plane sufficit operandi vis, quamvis bruta in se sit et mechanica. Quamobrem necessum non est, quod mens nostra, ut motus producat in corpore, noverit etiam cerebri substantiam, ejusque adfectiones, tum nervos, spiritus animales, musculos ac modum, quo ad illorum motuum productionem uti iisdem possit ac debeat. Quod si dictis non acquieverint Malebranchiani, ab ipsis petimus, num mens nostra seipsam noverit, vim suam, suos actus, libertatem, modificationes, praesertim vero modum, quo ejus vis exeri debet atque in actus prodire? Non equidem (§. 341.). Bene habet. Ergo, si cognitio est ad agendum omnino necessaria, nullos actus edit vis illa aut edere potest; imo vero ne existit quidem: ut quid enim ipsa, si neque exeat in actum neque exire unquam possit? Quid igitur? nempe cum Malebranchiani neque vim illam negent (*Ontol.* §. 298.), neque negare possint, ut hominibus sua constet libertas (*ibid.* §. 308.); velint nolint necesse est, concedant, cognitionem non esse universim necessariam, ut caussa secunda utcumque operetur.

Exemplum artificis tantum abest, quod Influxionistis officiat, quin potius iisdem favet quammaxime. Si cognoscit quaedam, quae ad machinae suae elaborationem spectant, plura etiam omnino ignorat. Non equidem novit suummet agere; non intimam instrumentorum naturam partes elementa; non materiæ perfectam indolem genium vires nexus (1) non denique internam machinæ structuram officia omnia et relationes. Quid ergo mirum, si etiam mens nostra non ea omnia

nove-

noverit, quae ad producendos in proprio corpore motus necessario requiruntur?

349. *Ad* 3. Nugari videtur hoc loci Malebranchius. Plures quidem fieri debent motuum communicationes, ut brachium vel quaevis alia nostri corporis pars moveatur; sed totidem praeterea requiri mentis volitiones, ego sane non video. Illæ siquidem communicationes unis mechanicis materiæ legibus, actione scilicet et reactione fiunt. Nempe ita sese res habet. Mens spiritus animales in cerebro existentes, seu, si mavis, eorum vires primum determinat. Ipsi autem ad motum concitati vel ad eam corporis partem, quam unico voluntatis suæ actu mens ipsa moveri vult, excurrunt, vel in alios sibi proximos, atque ita porro alii in alios agunt, adeo ut conceptus motus tandem ad partem illam propagetur, quæ movenda est. Eadem ferme ratione, qua vulgo concipimus, sonori corporis semel etiam percussi motum in ambiente primum aere, tum in remotiori per plures et plures communicationes imprimi.

350. *Ad* 4. Vel ludit Bulfingerus, vel cavillatur. Qualem enim, quæso, postulat inter motum corporis et vires animæ proportionem? *geometricamne* vel *aritmeticam*; an potius qualis effectum inter et sui caussam intercedere universim debet? Si priorem illam, quemadmodum argumentum innuere videtur, perridiculus esset hic Philosophus. Id genus proportio est duarum vel plurium *rationum* æqualitas; *ratio* vero generatim est duarum vel plurium magnitudinum ejusdem generis, puta duorum corporum relatio, seu modus, quo una magnitudo continet aliam, vel hæc in illa continetur. Jam vero motus corporis non potest quidem excedere vires animæ, sicuti quivis effectus excedere nequit adæquatam sui caussam: tum etiam eo sensu corporis motus et vires animae sunt comparabiles, quatenus illius quantitas harum contentioni constanter respondet; at postulare comparationem quot vicibus motus ejusdem corporis in animae viribus contineatur, seu quoties repetitus hic motus vires animae exaequet vel superat, desipere est, et aptare quadrata rotundis. Profecto non dixerit Bulfingerus, motus corporum toties repetitos æquare vel superare vires Dei, ac motus illos et Dei vires esse ejusdem generis. Nulla igitur heic adparet sive geometrica sive arithmetica proportio. Atqui tamen Deus movere potest corpora ac re ipsa movet.

ret. Sufficit itaque proportio altera, quæ nempe inter effectum et causam intercedat universim necesse est. Hanc porro haberi motum inter ac spiritum, nemo unus vel mediocriter doctus negabit, cui compertum fuerit, primam motus originem a spirituali substantia per se activa esse derivandam (§. 343.).

Si curiose cum Leibnitio quaesiveris, cur si motus corporis ab anima procedit, fieri nequeat saltus ad eam altitudinem, quam volueris? Facilis est responsio; nempe animæ vis certis quibusdam definitur limitibus iisque plane angustis; tum ipsa ad motuum productionem a certa quadam spirituum animalium et nervorum constitutione plurimum pendet.

351. *Ad* 5. Æquivocationibus pugnat Vernejus, dum corporis *collocationem* in spatii partibus cum ejusdem in iis partibus spatii *existentia*, et existentiam hanc cum *conservatione* in illis ipsis partibus simul confundit. Aliud est existentia corporis, per quam extra meram sui possibilitatem est positum (*Ontol.* §. 38.), quaeque, si duret per tempus aliquod, dicitur *perseverantia* seu *conservatio* existentiae; et aliud ipsius corporis jam existentis in locis *positio*, quæ si duret, *conservatio* seu *perseverantia* ejusdem positionis adpellatur. Nam sive existentia sive existentiæ perseverantia intrinsecus afficiunt ipsum corpus; positio autem in locis, et hujus positionis perseverantia non sunt nisi extrinseca quaedam ipsius corporis ad loca illa relatio. Jam vero motus non spectat ipsam corporis existentiam, neque existentiae perseverantiam seu conservationem; sed utramque supponens, non est nisi successiva ejusdem corporis ab uno ad alium locum *translatio*, seu *mutatio* locorum (§. 46.), quae ab existentia illa et existentiae perseverantia distincta omnino est ac diversa: corpus enim existere etiam sine motu certo certius potest. In motu porro duo spectanda sunt, nempe successiva corporis ad spatii partes *relatio*, quae motus *matematicus* vocatur; et *actus* vis motricis, qui dicitur motus *physicus* (*ibid.*). Quare cum *actus* vis motricis nihil prætere sit quam ejusdem vis *modificatio*, et *relatio* ad partes spatii sit plane *exstrinseca*, proindeque non substantia, nemo miretur, si non a solo Deo, sed etiam a causis secundis uterque hic motus procedere possit, ac reapse procedat.

Obje-

Objectionum caput postremum.

352. 1. Materialis substantia tangere nequit spiritualem, quae penetrabilis est ac simplicissima; sed materia nonnisi per contactum agit atque agere potest: igitur corpus physice non agit in animam.

2. Si in animam corpus ageret, effectus integer *plenam* seu adaequatam sui causam superaret: *integer* enim virium corporis effectus esset motus; aliunde vero in hypotesi influxus physici, fieri praeterea ab iisdem viribus deberet in anima perceptio. Ita ferme Bulfingerus (*a*).

3. Imago, quæcumque sit, in cerebro depicta, seu adfectiones ejusdem cerebri juvare non possunt animum, seu ipsum neque docent neque regunt, ut objectum externum cognoscat: quippe animus neque nervorum origines, neque substantiam cerebri, ejusque adfectiones videt aut sentit. Ita Vernejus (*b*).

4. Imago retinæ non excitat motum sensilem in nervis opticis: hic enim motus neque in oculo, neque in cerebro sentitur. Hoc idem dicatur de aliis ceteris externis sensibus, in quibus, si tactum excipias, nullus sensibilis motus excitatur. Impressiones itaque in iisdem factæ delatæque ad cerebrum nequeunt animum adficere. Ita idem Vernejus (*c*).

5. Cerebrum leges ignorat, quibus animus ob impressiones in cerebro ipso factas adfici debet. Nequit igitur ipsum adficere. Tum caussa, quæ animum excitat ad percipiendum, eumdem cogit: sensationes enim necessitate fiunt, non libertate. Atqui cerebrum non habet vim cogendi ad id operis animum: inscium enim est atque iners. Ita idem Vernejus (*d*). Cetera mittimus.

353. *Respondent Influxionistae ad* 1. Non eo sensu ac modo corpus tangit animam, quo corpus aliud corpus tangere dicimus et observamus, sed certo quodam contactu, quem *virtualem* appellant, quemque absolute repugnare nemo unquam

(*a*) *De harmon. praestab.* §. 37. *et seqq.*

(*b*) *De re phys. lib.* 10. *part.* 3. *cap.* 2.

(*c*) *Loco cit.*

(*d*) *Ibid.*

quam ostenderit (§. 343.): *invicta demonstratione constat*, inquit Gravesandus (*a*), *non mentem in corpus, neque hoc in illam agere, ut corpus in corpus agit; sed mihi non videtur, inde concludi posse, omnem influxum esse impossibilem*. Et re quidem vera si spiritus, licet penetrabilis ac simplicissimus movet corpora (§. 343.), quin eadem materiali obvioque contactu atque impulsu afficiat; cur, quæso, non poterit corpus ita animam afficere, ut ipsam ad suas eliciendas sensationes vere proprieque determinet? Dum anima virtute sua; quam *loco-motivam* vocant, movet corpus, dicendum videtur, quod animae vires agant in vires corporis: neque enim alius concipitur modus, quo naturales creatæ res in se invicem operentur. Itaque vires corporis afficiuntur ab animæ viribus. Sed cur, amabo, non versa vice? Nam primum illud videtur haberi non posse, nisi velut conflictus quidam, nobis certe impervius, inter utriusque laudatæ substantiae vires supponatur, ab eo sane diversus, quem duo corpora in se mutuo exercent. Sicuti igitur animae vires agunt in vires corporis, ita etiam corporis vires agere poterunt in vires animæ.

354. *Ad* 2. In systemate influxus physici velut duplex perceptionum caussa adsignatur, *efficiens* nempe, hoc est, anima, et *occasionalis*, quae est actio cerebri seu motus, qui animæ vim ad percipiendum determinat. Quare *integer* et immediatus virium corporis effectus esset solus motus, sicut perceptio esset *integer* atque immediatus effectus vis animæ. Non itaque effectus *integer plenam* sui caussam exsuperaret. At inquis, vires corporis animam per motum ad percipiendum determinant, quæ quidem determinatio est quid plusquam purus motus. Ita sit; quid tum? In hac hypothesi integer virium corporis effectus etiam laudatam determinationem complecteretur, atque ideo effectus ille *plenam* sui caussam non excederet. Si dixerit Bulfingerus, corporis vires nihil aliud in nobis producere quam motum, seu animam ad percipiendum non determinare; respondebunt Influxionistæ, ipsum adserere, quod in quaestione versatur: quaeritur namque, an corpus per vires suas ac motum vim animæ determinare ad percipiendum possit, nec ne?

355.

(*a*) *Introduct. ad Philosoph.* §. 248.

355. *Ad* 3. Si asserit Vernejus, nostrum animum eo sensu neque nervos, neque substantiam cerebri; ejusque adfectiones videre aut sentire, ut ab ipsis non afficiatur; illud ipsum assereret, quod est in quaestione, quodque probandum eidem superesset. Sin autem quatenus animus partes illas non immediate cognoscit, lubentissime dabunt Influxionistae. Sed non inde sequitur, cerebri adfectiones animum ipsum non juvare, ut objectum externum percipiat; imo vero juvant quammaxime ea ipsa de caussa, quod immediate non cognoscantur. Rem totam evolvamus. Animus, inquiunt a delata ad cerebrum impressione afficitur; sed eam non uti motionem aut affectionem cerebri percipit, bene vero tanquam objecti externi signum atque imaginem. Non, inquam, uti motionem cerebri aut affectionem: secus enim in ejus contemplatione mens ipsa defigeretur, neque proinde ad res externas se se converteret (§. 82.), plane aliter ac statutum a Deo fuit: eo enim fine externos sensus nobis concessit, ut essent velut nuncii, qui mentem ipsam excitarent ad rerum quae extra eosdem sensus sunt, cognitionem. Mens igitur ita affecta statim ad eas res per illud signum repraesentatas se se convertit: *non aliter fere*, inquit Storchenau (*a*); *ac si quis rem majoris momenti mihi nunciet, adesse ex. gr. hominem dignitate conspicuum, quo casu non tam ad verba nunciantis, aut loquendi modum, minus ad ejus vestitum, aliaque similia attendo, quam illico totam attentionem in rem nunciatam converto*. Ceterum petimus a Vernejo, num ejus animus videat aut sentiat caussam, nempe Deum, ut ipse quidem putat, a quo afficitur? non certe. Ergo juvare eumdem nequit, aut docere ac regere, ut objectum externum cognoscat.

356. At, inquit, *qui videt characteres ignotae linguae, nihil percipit, nisi alter peritus eorum significationem explicet*. Subdit quoque exemplum cæci nati, qui quamvis millies audierit organum musicum, vel etiam parallelepipeda digitis sentiat, nunquam tamen divinabit, an datum parallelepipedum sonum gravem aut acutum aut medium excitet, nisi doceatur,

357.

(*a*) *Phychol. part. 2. §. 201. Schol. 2.*

357. Sed frustra: quis enim latissimum quoad rem nostram discrimen non animadvertat? Impressio ad cerebrum delata est naturale objecti externi signum seu imago, inter quam proinde et de eodem objecto perceptionem necessaria intercedit connexio. At cujusvis linguae characteres sunt signa arbitraria (*Log.* §. 96.), unde illorum significatio nobis non constat, nisi ab aliis doceamur. Arbitrarium quoque est, quod organum musicum ita constructum sit, ut unum potius, quam aliud ejusdem parallelepipedum datum sonum reddat. Tum caecus non videt, quale illud sit, quod unam potius quam aliam reddat vocem; verbo, ipsi deest impressio, cujus ope in hujus rei cognitionem deveniat; quae tamen non deest in nostra hypothesi, in qua supponimus, impressionem in externis sensibus factam ad cerebrum usque atque ad animam delatam fuisse.

358. *Ad* 4. Motum illum nostri corporis *sensibilem* universim appellamus, qui alicujus sensationis, quaecumque sit, caussa est ac dicitur. Unde motus a luce in retina oculi impressus, atque ad cerebrum propagatus est plane sensibilis cum aptus sit, ut visio in anima excitetur. At Vernejus, dum scribit, imaginem retinae non excitare *sensibilem* motum in nervis opticis, eo quod hic idem motus neque in oculo, neque in cerebro sentiatur; putasse videtur, eum dumtaxat motum esse ac dici posse *sensibilem*, qui dolorem aut voluptatem per sensum tactus in nobis creat; quod et falsum est, ut mox diximus, et ad rem praesentem non pertinet. Siquidem etiam concesso, quod nonnisi postremus hic motus sit sensibilis; probandum ipsi adhuc superest, priorem illum motum non sufficere, ut afficiat animum, eumdemque ad producendam visionem determinet.

359. *Ad* 5. Ex quo cerebrum leges, quibus adfici debet animus, prorsus ignoret: non equidem sequitur, haud posse animum ipsum adficere; neque enim necessaria est cognitio, ut caussa secunda universim operetur (§. 348.). Item quaenam est repugnantia, quod cerebrum animam ad percipiendum cogat, seu potius quod anima ad praesentiam impressionis in cerebro velut depictae necessario percipiat? Nonne ad presentiam objecti boni necessario quandoque vult, uti in pueris usu liberi arbitrii adhuc destitutis evenire compertissimum est? At inquit, cerebrum est *nescium*. Quid tum vero? Ignorantia sicuti nihil obstat, quominus cerebrum

agat

agat in animam, ita etiam ne obstat quidem, quominus idem cerebrum ipsam ad sentiendum cogat. Subdit; est quoque *iners*. Ita profecto; sed tamen potest motum aliunde recipere, receptumque aliis partibus communicare. Quod si demum Vernejus assereret, cerebrum non posse animam per hunc motum adficere, assereret illud ipsum, quod est in quaestione, quodque momentis ostendere, non verbis tantum affirmare deberet.

360. *Schol.* Praeter ea plura, quae commemoravimus, Adversariorum argumenta, alia bene multa prae ceteris congessit Malebranchius, quorum pleraque eo spectant, ut vim omnem etiam mere activam adimant corporibus (*); reliqua vero ut ostendant, in mente nostra non inesse vim cudendi sibi ideas: qua quidem super re paullo inferius disputabimus (§. 446. *et seqq.*) Coronidis loco dicimus, omnia, quae hactenus exposuimus, de corporis animaeque commercio systemata esse plane incerta: *modus*, inquit Augustinus (*a*) *quo corporibus adhaerent spiritus et animalia fiunt, omnino mirus est; nec comprehendi ab homine potest.* Ex dictis facile quisque sibi persuadebit; nos aliis ceteris praetulisse systema influxus physici, utique minus rigide usurpatum. Profecto omni, quo potuimus, studio animique contentione Influxionistarum caussam egimus, defendimusque. Sed tamen judicium cohibemus, praesertim cum quidam in nobis insit scrupulus quoad vim agendi sicuti aliorum, ita et nostri corporis; quem in Physica generali, si diis placuerit, saltem velut problema exponere in animo est (§. 351. *et seqq.*).

SECTIO III.

De facultatibus, et affectionibus Mentis humanae.

361. Praecipuae mentis humanae facultates seu potentiae sunt *intellectus et voluntas*, inter quas nonnisi *formalis*, ut placet Scotistis, intercedit distinctio. *Memoria*, quae inter

(*a*) *Lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. n. 1.*

(*) *Consulantur, quae in Ontologia (§. 310 et seqq.) de rerum creatarum activa vi et efficacia universim disseruimus.*

ter facultates mentis nostrae vulgo numeratur, ad intellectum pertinet, uti ex iis, quae de eadem dicemus postea, manifeste constabit. Nihilo tamen minus de ipsa quoque seorsum tractabimus. Hanc itaque Psychologiæ partem tribus absolvemus capitibus, in quorum primo de *intellectu*; de *memoria* in altero; in postremo denique de *voluntate*. His de ceteris aliis ejusdem mentis affectionibus addendum non nihil erit.

CAPUT I.

De Intellectu.

362. *Def.* *Intellectus* illa est mentis nostrae vis potentia seu facultas, qua percipit, judicat, ratiocinatur, ceterasque suas, quae ad verum cognoscendum pertinent, edit operationes.

363. *Schol.* Ita quidam Veteres. Significationem minus latam nomini *intellectus* adjudicant nonnulli recentiores, nempe ipsis non est, nisi facultas animi, qua res *distincte* cognoscit. Duplicem intellectum, *agentem et patientem*, quorum unus ab altero velut res ab re seu substantia a substantia distingueretur, commenti sunt Arabes (§. 239.) a quibus saltem aliqua ex parte adhaeserunt Scholastici. Sed de his postea (§. 460.). Idem plane intellectus, quatenus sensibilia objecta ope organorum sensoriorum percipit, eorumque phantasmata in cerebro velut depicta iterum advertit, varieque copulat, sejungit, auget, minuit, dicitur *pars inferior*; *pars* vero *superior*, quatenus circa res sensibus impervias, vel saltem sub ea ratione inspectas, qua nequeunt sensus afficere, ipse idem versatur. Ad priorem spectant *sensatio et imaginatio*; ad posteriorem *intellectio*, quae est multiplex, nempe *attentio*, *contemplatio*, *abstractio*, *reflexio*; *comparatio*, *acumen*, *profunditas*, *ingenium*, *sagacitas*, *soliditas*, *et ratio*. Mittimus *sensum intimum* seu *conscientiam*, uti *judicium*, *ratiocinationem*, vel etiam, si mavis, *methodum*, de quibus satis accurate in Logica.

ARTICULUS I.

De sensatione, et imaginatione

364. *Def.* 1. *Sensio* sive *sensatio* est illa mentis nostræ actio, qua ope organorum sensoriorum præsentes res corpo-

reas

reas percipit seu cognoscit. Potentia, qua anima sensationem efficit, *facultas sentiendi* adpellatur.

365. *Schol.* Sicuti organa sensoria sive sensus, ita etiam sensationes sunt quinque, *tactio*, *visio*, *auditio*, *odoratio*, *et gustatio*. Auctor Operis *de natura*, quem quidam esse Alembertum putant, sextum addidit sensum, nempe *sensorium moralitatis actionis*. At plane inconsulto: *moralitas* enim, seu actionis honestas aut turpitudo cum non sit nisi ipsius actionis cum morum regulis convenientia vel discrepantia; non sentitur profecto, sed una intellectione percipitur. Porro sensatio vel ingrata est, et appellatur *dolor sensibilis*; vel est grata, et dicitur *titillatio* seu potius *sensibilis voluptas*.

366. Ad sensationem requiruntur, 1. organa sensoria: 2. objecta, quæ organa illa impellant seu moveant: 3. demum harum motionum ad cerebrum vel ad eam cerebri partem, ubi animus residet, propagatio. Hæc tum ex dictis, tum etiam ex jugi experientia compertissima sunt. Hinc pro objectorum, organorum, et agitationum sive motionum varietate variae quoque sunt sensationes, earumque vividitas, perspicuitas, distinctio, totaque ipsarum sensationum theoria explicari quam facile potest. Observandum tamen, quod mens tantum et eo modo sentit, quantum et quo modo motiones ad ipsam delatas advertit.

367. *Def.* 2. *Imaginatio* est actio illa, qua mens nostra absentia objecta velut praesentia percipit, aut etiam cognitione varie copulat vel sejungit, auget vel minuit. Hujus actionis potentia dicitur *facultas imaginandi*, *vis imaginatrix*, *virtus phantastica*, *phantasia*.

368. *Schol.* In theoria operationum nostrarum fere principem tenet locum imaginatio: ea enim sublata, nulla omnino esset memoria, somnia nulla, nulla denique tot illa inventa, quæ poetis, architectis, pictoribusque in deliciis sunt. Non erit igitur abs re eamdem enucleatius exposuisse. Dum rerum sensibilium perceptiones fiunt, certa quaedam phantasmata seu vestigia, qualiacumque demum sint, in sensorio communi, hoc est, in cerebro velut insculpuntur, sed diversimode, ibique plus minus perseverant pro diversis objectorum in sensus impressionibus, ipsorum sensuum constitutione, cerebri structura ac temperamento, unius ejusdemque sensationis frequentia, apparatu, affectione, vivacitate, diuturnitate,

citate, vel etiam proximiori vel remotiori tempore, quo impressa fuerunt, atque hisce similibus. Ab his quoque pendet major vel minor facilitas, qua iterum excitantur, tum perspicuitas, ordo, distinctio, cetera. Hinc imaginatio non in omnibus est æqualis. Mirus quidam inter phantasmata intercedit nexus, atque ita consociantur, ut excitato uno vel simili, alia quoque vel similia excitentur. Hæc stabilis phantasmatum, proindeque etiam idearum recursio dici solet *lex imaginationis*, sive *consociationis idearum*.

369. Porro phantasmata excitari rursus possunt, 1. per solam internam spirituum animalium sive nervulorum agitationem, uti in somniis: 2. per aliquam impressionem externam, cujus caussa vel eamdem ipsa vel alia phantasmata ob consociationem vel similitudinem iterum velut reviviscunt uti si audito etiam solo *Romæ* nomine, rursus menti recurrant, quæ in Urbe illa alias perspeximus: 3. demum per liberum voluntatis nutum. His itaque modis imaginatio perfici atque esse in nobis potest.

370. Si fieret, ut verum phantasma non totum excitetur, velut quod exhiberet hominis corpus, sed sine manibus ac pedibus; vel una pars unius phantasmatis cum alterius diversi phantasmatis parte conjungatur, sicuti quod repraesentaret centaurum; vel denique ex duobus perfectis phantasmatibus unum tantum phantasma emergat, uti si conciperes equum ex cujus dorso homo tanquam naturalis ejusdem pars exurgeret; facultas, qua hæc praestamus, dicitur *facultas fingendi*, actio autem *fictio*, phantasma demum *phantasma fictum* vel etiam *figmentum*. Idem dicendum, si vel ordo partium, veluti quum arbor concipitur radicibus in altum assurgere, vel locus aut alia objecti adjuncta mutentur, uti si fingeres *delphinum in sylvis*, *mediis in fluctibus aprum*.

371. Non erit abs re quædam hoc loci subnectere, quæ quam maxime utilia esse videntur, ut immaginatione uti opportune valeamus. 1. Sensatio est, ceteris paribus, imaginatione vividior. Illa enim pendet a motione, quæ a praesenti objecto organa sensoria actu pulsante fit; quæ quidem motio esse solet vehementior ea motione, quæ a sola interna spirituum animalium concursione procedit. Ceteris, inquam, paribus: fit enim quandoque, ut animales spiritus, nova velnti accedente et concitante caussa, vel eodem mo-

do,

do , quo per objectum praesens , vel etiam paullo vehementius ad motum concitentur .

2. Imaginatio vividior minus vividam retundit , non secus ac sensationem minus vividam vividior sensatio . Illa enim cum clarior sit , attentionem mentis atque advertentiam vehementius in se convertit . Jam vero quo attentio in rem aliquam est major , eo etiam minor ipsa est in rem aliam , quae menti simul obversatur . Mens itaque a vividiori imaginatione veluti abrepta , minus vividam vel nullo prorsus modo advertit , vel tantum perfunctorie , atque ideo haec posterior retundi debet ac veluti hebetari .

3. Si imaginatio vividior fuerit , quam impressio actu in sensibus facta , vel nulla omnino sensatio fit in anima , vel saltem remissior paullo est atque imbecillior , quam esset , si imaginatio non foret tam vivida . Patet ex dictis (*n.* 2.). Hinc facile intelligitur , quam ob caussam in somniis vel etiam quandoque in deliriis objecta absentia nobis exhibeamus tanquam si eadem oculis reipsa extra nos conspiceremus . Nimirum sive ob somnum sive ob imaginationem vel sensationes plane cessant , vel saltem admodum imbecilles sunt ; quo quidem fit , ut mens non distinguat statum imaginationis a sensationis statu , sed utrumque simul confundat . Itaque imaginationis status perinde est ac status sensationis . At sensatio exhibet objecta reapse praesentia . Ergo etiam per imaginationem ; quæ habetur sive in somniis sive in deliriis , objecta absentia in phantasmatibus percepta , veluti si praesentia essent atque extra nos posita , nobis repraesentamus .

4. Si plurium rerum imaginationes menti occurrant , earum unaquaeque est minus vivida . Hoc etiam dicas velim , si mens et ab imaginatione et a sensationibus eodem tempore afficiatur . Quo enim animus in plura distrahitur , eo etiam est minor ad singula ejusdem attentio . Hinc in somniis imaginatio esse solet vividior , quam in vigilia , si cetera sint paria : in hac enim plures ac plures fiunt et vigent sensationes . Hinc etiam ut aliquid imaginemur vividius distinctiusque , oportet , mentem ab aliis sive imaginationibus sive sensationibus avocare .

ARTICULUS II.

De attentione, contemplatione, abstractione, reflexione, comparatione, acumine, profunditate, ingenio, sagacitate, soliditate, et ratione, ejusque usu.

372. *Def.* 1. *Attentio* est mentis nostrae ad alicujus objecti cognitionem applicatio ac velut defixio.

373. *Schol.* Per attentionem res clarius vividiusque cognoscimus; mens enim per ipsam veluti omnes suas vires colligit, easque in objecti cognitione insumit. Tantum igitur necessaria est attentio, quantum est necesse, ut claras rerum ideas nobis comparemus. Usu acquiritur, et abstractione, de qua postea. Non eadem est in omnibus. In pueris esse solet perfunctoria atque imbecillis. Tanta fuit illa Petri de Montmort, ut musicis instrumentis personantibus, tum curritante et Patrem interpellante parvulo filio, etiam difficiliora problemata solveret (a); tum illa Archimedis, ut geometricis suis meditationibus defixus, ne minimum quidem adverteret, Romanos Urbem suam capere. Cum finita sit; quo ad plura eodem tempore dirigitur, eo quoque minor est ad singula: unde vulgatissimum illud; *pluribus intentus, minor est ad singula sensus.*

374. *Def.* 2. *Contemplatio* est attentio ipsa, sed quae paullo vividior fuerit ac diuturnior.

375. *Def.* 3. *Abstractio* est avocatio attentionis ab aliis rebus, ut res alia attentius perspiciatur; unde per ipsam quasi res a re, et qualitas a qualitate sejungitur.

376. *Schol.* Si quis templum ingressus velit picturam aliquam clarius distinctiusque dignoscere, oportet, ut attentionem suam ab aliis omnibus, quae in templo illo sunt, omnino avocet.

377. *Def.* 4. *Reflexio* est attentionis ad diversa objecta, vel ad diversas ejusdem objecti partes, earumque ordinem, et nexum directio. Ita profecto, dum mens nostra suasmet perceptiones intelligit, tum ea, quae in ipsis sunt vel in objectis per ipsas repraesentatis, *reflectere* dicitur.

378. *Def.* 5. *Comparatio* est actio illa, qua attentionem ab

(a) *Hist. reg. ad an.* 1719.

ab aliis ad alias ideas sive objecta velut alternatim dirigendo, aut eodem tempore res plures contemplando, relationes, quas ideæ illae vel res inter se habent, dignoscimus. Quare comparatio a reflexione dependet.

379. *Def.* 6. *Acumen* est actio, qua animus facile ac prompte multa in uno eodemque objecto discernit.

380. *Def.* 7. *Profunditas* est illa actio, qua mens ideam penitus velut introspiciendo, ejus notas in simpliciores resolvit. Quare nihil aliud esse videtur, quam ipsum acumen quod ab objecto ad ejus notas, et ad notas notarum ulterius promovetur.

381. *Def.* 8. *Ingenium* est actio, qua animus rerum similitudines et æqualitates facile prompte distincteque percipit.

382. *Schol.* Multiplex est ingenium; *sublime*, si similitudines et æqualitates reconditas, vulgique intelligentiam excedentes percipiat; *vulgare*, si non dignoscat nisi obvias ac patentes: *rectum*, si veras attingat; *promptum*, *alacre*, *vividum*, si cito ac praeter aliorum expectationem illas apprehendat; *amplum*, si internoscat multiplices ac varias, dicique etiam solet *gustus ingenii*, gallice *genie*, quoties relationes nobilissimas maximeque delectabiles assequatur; *felix*, si facile illas sibi comparet; *solidum*, si realem partium nexum atque ordinem ex mutua ipsarum relatione deducat; *penetrans*, si ad ultima, ut ita dicam, relationum elementa pertingat; *superficiarium*, si non assequatur nisi similitudines et æqualitates apparentes; *effeminatum* denique, si et superficiarium sit, et illas tantum spectet rerum similitudines et æqualitates, quae inserviunt ad illecebras, ad delicias, ad voluptates, ad læta spectacula, verbo ad ea, quae animum deliniunt atque enervant. Legendus est Malebranchius, qui hujusce postremi ingenii esse solere scribit plerosque divites, proceres, quibus non injuria addi etiam possunt ac debent tot illi molles ætatis nostrae scriptores, quos inter Voltaire, qui ferme una eaque fucata delectantur sermonis elegantia et lenociniis.

383. *Def.* 9. *Sagacitas* actio illa dicitur, qua mens facile ac prompte invenit medias ideas, quibus aliarum idearum nexus distincte cognoscitur, et ratiocinia efformantur. *Mediæ ideae* sunt *ideae illae tertiae* seu *medii termini*, de quibus in Logica (§. 191. 193.), et quorum subsidio ratiocinia vel argumentationes construuntur.

So-

384. *Def.* 10. *Soliditas* est actio, qua mediæ ideae per sagacitatem inventae eo ordine ac ratione prompte ac facile disponuntur, ut inde perspicue pateat non tantum illarum idearum, sed etiam veritatum nexus, quae longiorem quoque argumentationem seu potius argumentationum seriem constituunt.

385. *Animad.* Observandum est, eam potentiam, qua hactenus expositae mentis nostrae operationes fiunt, dici *facultatem attendendi*, *contemplandi*, *abstrahendi* &c., prout laudatae diversae actiones ab eadem procedunt.

386. *Def.* 11. *Ratio* est distincta nexus veritatum universalium cognitio, ac recte instituta aliarum ex aliis per ratiocinationem deductio.

387. *Schol.* Mirum est, quantum quoad genuinam *Rationis* notionem discrepent inter se Philosophi. Satis sit, eam quam tradidimus, enucleatius exposuisse. Brutorum anima, siqua est, una tantum donatur sensatione atque imaginatione (de affectibus non loquimur). Eisdem praedita quoque est mens nostra (§. 364. *et seqq.*), sed non proinde esset *rationalis*. Quod ipsam vere ac proprie *rationalem* constituit, est id omne, quod eamdem supra belluinam animam erigit atque attollit. Sunt porro *conscientia*, *attentio*, *contemplatio*, ceteraeque id genus operationes, de quibus antea disseruimus (§. 372. *et seqq.*); *ideae* quoque *abstractae*, ac *judicia*, quae nisi a substantia rationali proficisci non possunt. Omnia hæc ad *Rationem* quidem pertinet; cum tamen non adhuc illud concipiamus, quod rationalem hominis statum omnino perficiat; nemo miretur, si eadem non habeamus nisi uti *media* ac *materiem* Rationis. Quod praeterea in mente nostra fit, vera proprieque dicta *Ratio* nobis est. Scilicet illud quoque advertimus, veritates universales quodam veluti nexu simul ligari; unam in altera contineri, atque aliam ex alia sponte sua fluere, adeo ut intellectus veritatibus inde sequentibus reluctari nullatenus possit. In hac itaque distincta nexus veritatum universalium cognitione, deductioneque aliarum ex aliis humanae Rationis naturam constituimus. *Humanae* inquam, *Ratonis*: illa enim Dei, quae summa est, ac nulla omnino opus habet ratiocinatione, in una perfectissima atque intuitiva nexus plane omnium veritatum cognitione sita esse videtur. Ea mentis nostrae facultas seu energia, qua nexum veritatum universalium distincte cognosci-

gnoscimus, atque alias ex aliis deducimus *lumen rationis*; hujus autem facultatis exercitium, ejusdem *rationis usus* adpellatur.

188. *Corol.* I. Omnibus omnino hominibus communis est Ratio. Omnes enim habent intellectum, aliaque media, quibus universales quasdam veritates, earumque nexum distincte cognoscant, atque alias ex aliis inferant. Eos excipimus quibus aut per aetatem, aut per dementiam, aut per omnimodae institutionis defectum vel nullatenus, vel nonnisi infirmissime ratiocinari licuerit.

389. *Corol.* II. Non est tamen aequalis in omnibus. Neque enim omnes easdem intellectus sui operationes, attentionem, reflexionem, ceteras eadem perfectione et contentione eliciunt. Tum non omnes easdem veritates universales, sed numero majores alii, alii vero minores cognoscunt. Denique non omnes aeque pollent ratiocinationis regulis, quae sunt regulae Rationis.

390. *Corol.* III. Indita a natura nobis non est, nisi facultas, sed usus experientia, educatione, commercio, studio, meditatione, aliisque id genus mediis et comparatur et perficitur. Constat fuisse homines etiam ad quartum supra decimum aetatis annum perventos, qui, ex quo extra societatem vixerint, nullum omnino Rationis specimen exhiberent. Rationis quoque perfectionem a laudatis mediis pendere, jugi experientia compertissimum cuique est.

391. *Corol.* IV. Est immutabilis. Quippe immutabiles sunt veritates universales, immutabilis earumdem nexus, immutabiles denique regulæ ratiocinationis. Fieri equidem potest; ut mutatis circumstantiis, mutari etiam debeant ipsa judicia. Si elapso sæculo datæ merces invaluissent; recte sese gessisset ille ejus temporis mercator, qui circa illas negotiationem instituisset suam. At si hoc saeculo viluerunt, si iisdem uti non amplius solent homines, non recte se gereret, si illas ipsas nunc negotiaretur. Hoc idem dicas velim quoad leges, studia, instituta, regimina, artes, cetera. Verum non propterea putandum, Rationem mutari. Quippe sicuti Ratio tunc temporis suadebat laudatam negotiationem, ita eadem ipsa Ratio negotiationem illam nunc vetat; quasi nempe ita quis ratiocinaretur; *mercator negotiari ea debet, quæ eidem lucrum afferunt; atqui datae merces lucrum eidem afferunt: ergo easdem debet negotiari*; vel *atqui datae merces lucrum*

eidem

eidem non afferunt: *ergo eas negotiari non debet*. Hoc loci spectavimus Rationem, ut ajunt, *objective*, quatenus nempe est ipsa veritatum connexio; *subjective* tamen spectata, seu quatenus est cognitio laudatae connexionis, dici potest mutabilis; haec enim cognitio augeri, minui, aut etiam omnino deperdi a nobis potest.

392. *Corol.* V. Ratio nunquam decipitur, neque decipit unquam. Non enim in ipsa elucent nisi veritates universales, earumdem nexus, hujus nexus distincta cognitio, regulae ratiocinationis, ac postremo deductio. At haec omnia et singula vera per se sunt; nequeunt igitur nisi veritatem in se complecti atque in nobis parere.

393. *Corol.* VI. Illud est *secundum rationem*, cujus nexus cum veritatibus distincte cognoscitur: *contra rationem*, quod cum veritatibus pugnat, seu in connexione veritatum non continetur; denique *supra rationem*, quod cum veritatibus connexum quidem est, sed tamen hanc ipsam connexionem distincte ipsi non cognoscimus.

394. *Schol.* Cum Ratio non sit aequalis in omnibus (§ 389.); fieri potest ac fit plerumque, ut quod superat Rationem unius hominis, hominis alterius Rationem haud superet; atque ideo quod uni *supra rationem* est, alteri sit *secundum rationem*.

395. Hactenus de Ratione proprie dicta. Recentiores aliquid aliud addunt praeterea, quod *analogum et vicarium rationis* adpellant. Nempe quaedam veritates singulares, persaepe connectuntur, sed tamen earum nexum nonnisi confuse dignoscimus. Puta novit agricola, campum suum data tempestate ac modo excultum olim fructus edidisse. Adest igitur inter eam fructuum productionem et culturam illam connexio. Si agricola non distincte cognoverit in quonam hic nexus consistat, non habet nisi *analogum rationis*. Hinc oritur *expectatio*, ut dici solet, *casuum similium*, cujus usus maximus est ac frequentissimus. Scilicet conferendo praeterita adjuncta, quae olim ad eventum aliquem pertinebant, cum adjunctis praesentibus aut futuris, quae eadem sint vel similia, conjicimus, eumdem vel similem eventum nunc etiam esse, aut futurum. Exemplo sit idem agricola. Facile conjicit, campum suum editurum esse fructus ut antea, si ipsum eadem tempestate, eodemque modo, quo olim, ipsum excoluerit.

AR-

ARTICULUS III.

De idearum natura, atque origine.

Substiti pluries, inquit de ideis loquuturus Cl. Genuensis, *et caput scalpsi, arrodique ungues, dum me ad ea de re disserendum compararem; horrebat animus in avia ingredi*. Profecto adeo implicata res præsens est, ac difficultatum plena, ut potius quid dici de eadem queat, quam quid dicendum sit, modestus ac prudens philosophus sibi persuadere possit ac debeat.

396. *Def. Idea* est incorporea quædam et spiritualis imago rem sive existentem sive possibiliem, sive corpoream sive incorpoream exprimens seu repræsentans (*Log.* §. 19.).

397. *Schol.* Acerrima olim exarsit Arnaldum inter et Malebranchium controversia, num scilicet idea *realiter* distincta sit a perceptione, nec ne? Malebranchium, qui asserebat, sequuti sunt Antonius Genuensis, tum ii, qui sive omnes sive aliquas nostras ideas *innatas* volunt; Arnaldum vero, qui negabat, omnes ferme recentiores. Ad nos quod attinet, quamvis pluries, omnique, qua potuimus, animi contentione in rem hanc inquisiverimus, semper tamen haesimus ancipites, sententiamque cohibuimus, ne temere adsereremus, quod ignoramus. Nihilominus non erit abs re, quidpiam, quod praecipuum est, pro utraque opinione hoc loci subnectere. Perceptio, inquiunt Malebranchiani, est illa mentis actio, qua aliquid cognoscit (*Log.* §. 13.); quod autem percipitur, est *objectum*, circa quod illa ipsa actio versatur. Hoc autem objectum esse non potest corpus: neque enim animae virtus egredi extra ipsam animam potest, ut corpus percipiat, neque corpus fieri potest eidem menti intime praesens, ut percipiatur. Quare immediatum perceptionis objectum esse debet *idea*. Sed actio realiter distinguitur ab objecto, circa quod versatur; igitur perceptio est ac dici debet ab idea realiter distincta. Quid vero Arnaldistae? Quaerunt imprimis, quaenam sit efficiens nostrarum idearum caussa? Corpusne? absurdum. Deus? falsum. Est igitur mens. Sed illasne producit antequam percipiat, vel postquam percepit, vel denique eo ipso momento, quo percipit? Si primum; ergo vel producit ideam, quam necdum cognoscit, quod di-

ci

ci nequit; vel rem antea cognoscit, quam rem ipsam percipiat, quod et ridiculum est et secum pugnans: rem enim *percipere et cognoscere* sunt unum idemque. Si alterum; ergo mens sine idea realiter a perceptione distincta res percipit seu cognoscit, atque adeo laudata idea est plane inutilis atque eliminanda: neque enim plura adstrui debent, quam quae necessaria sunt ac sufficiunt. Superest ergo, ut asserant Malebranchiani, mentem eo momento temporis ideam producere, quo rem ipsam percipit. Sed hoc etiam falsum videtur, si quidem ideam esse a perceptione distinctam contenderint: quippe in hac hypothesi plura inter se distincta atque diversa, *perceptionem* nimirium et *ideam*, eodem plane atque indivisibili temporis momento mens nostra produceret; quod a potentia finita obtineri non posse videtur. Tum idea illa censenda esset prorsus inutilis: si enim ipsa non praesupponitur, nihil omnino menti ad percipiendum inservit. Quod quidem ex eo etiam manifeste constat, quod mens non potest, nisi actione aliqua ideam producere; haec autem actio neque est nec potest esse nisi ipsa perceptio. Igitur perceptio esset caussa ideae, idea vero effectus. Atqui effectus in sui caussam non influit, ut sit caussa sui, uti perspicuum per se est. Quare si anima ideam producit, idea dici non debet nec potest realiter distincta a pereeptione. Quid igitur? nimirum perceptio et idea una eademque res sunt, quae ob unas diversas relationes, quas habet, diversis nominibus adpellari jure optimo potest; *perceptio* quidem, quoties referatur ad animam, cujus est actio; *idea* vero, si ad objectum referatur, quod ipsa repraesentat (*Log. Annot. ad* §. 19.) Haec in gratiam Malebranchii et Arnaldi. Ceterum paullo inferius de hac eadem re redibit sermo (§. 453. 454.), mentemque nostram acriori doctorum philosophorum judicio subjiciemus. Hoc loci duo innuisse sufficiat, 1. nempe, nos eam dedisse *ideae* notionem, quae habere locum in utraque opinione aeque possit (*Log. loco citato*); 2. ita salebrosam de idearum origine inquisitionem, quam mox adgrediemur, suscepturos nos fore, ut quae dicturi sumus, vim suam omnem sive in una sive in altera ex recensitis opinionibus planc intactam servent.

QUÆ-

QUÆSTIO XIII.

Utrum admittendæ in nobis sint ideæ innatæ?

398. *Def.* *Ideæ innatae* sunt spirituales quaedam imagines, formae, aut species menti nostrae statim ab ortu divinitus ingenitae; sive quae nobis a primo vitae momento ad extremum, quoties attendit animus, semper praesto sunt, quasque sola prima caussa sine corporis aut cujuscumque alterius caussae secundae subsidio omnibus communiter impertit. Ita fere Purchotius non ignobilis cartesianus (*a*).

399. *Schol.* Hoc in sensu ideas innatas usurpat Plato, qui eas dicit *formas rerum æternas et subsistentes*, quas primum Deus mente sua et intelligentia complecteretur, deinde diis minoribus et mentibus participaret. Cartesius sibi cohaerere hac super re non videtur: modo enim per ideas innatas intelligit ipsam *cogitandi facultatem* seu *cognoscendi potentiam* (*b*); modo vero *cogitationes, quae non ab objectis externis, nec a voluntatis determinatione, sed a sola cogitandi facultate necessario procedunt* (*c*). Sylvanus Regis ideas Dei, corporis, et animi *innatas* vocat, non quod menti concreatae sint aut insculptae, bene vero quod in mente ipsa innascantur statim ac eum corpore conjuncta est (*d*). Postremo Eusebius Amort Lockium redarguit, quod idearum innatarum patronos non intellexerit, ac putat, Cartesianos quaedam principia lumine naturae nota dixisse *ingenita*, non quod ipsa animis nostris infusa a Deo fuerint, sed quatenus congenitus est homini certus quidam aliquorum primorum principiorum, et ad producendas operationes fini suo congruas habitus, sicuti apibus ingenitus est habitus mellificandi, araneis habitus texendi &c. At si proprie loqui velimus, non

---

(*a*) *Log. part.* 1. *cap.* 1.

(*b*) *Nota ad art.* 12. *Programmatis belgici.*

(*c*) *Ibid. ad art.* 14., *et in Respons. ad secundas objectiones.*

(*d*) *Usage de la raison, et de la foy liv.* 1. *par.* 1. *chap.* 7.

non alio in sensu usurpari posse videntur *innatæ ideæ* , quam quem eisdem adscripsimus (§. 398.). Quis enim negaverit , cogitandi facultatem esse nobis *innatam* ? Nihil porro refert , quod quasdam cogitationes *necessitate naturae* sibi cudat mens nostra . Dici ad summum posset , innatam nobis esse hanc ipsam cogitationes illas producendi necessitatem . Item nonnisi improprie dici possunt *innatae* illae ideae, quae statim in mente innascuntur . An forte putat Regis , eos omnes qui ideas innatas negant , negare quoque , mentem ipsam vix corpori copulatam cogitare ? Ceterum quis unquam crediderit , in mente nostra ideam sive *Dei* sive *animi* , quas innatas vult , innasci statim ac ejus cum suo corpore unio perficitur ? nempe per id tempus sensationes vix elicit mens , atque in seipsa experitur . Postremo propensiones , sive , ut eas vocat Amort , *habitus* cognoscendi prima aliqua principia , et efficiendi actiones fini suo congruas , nemo certe *ideas* adpellaverit . Verbo , nisi idearum innatarum nomine intelligantur spirituales quaedam imagines a Deo menti vel a primo existentiae suae momento impressae , et quidem a perceptionibus realiter distinctae , vel nulla omnino , vel de solo nomine inquisitio esset et controversia .

Sensus quaestionis .

400. An itaque sive omnes , sive aliquae saltem in nobis existant ideæ ; an scilicet spirituales quaedam imagines primitus a Deo in mente nostra impressæ fuerint ac veluti insculptae , investigandum hoc loci definiendumque nobis est .

Opinionum historia .

401. Mentes omnes cum suis rerum ideis , quas in eisdem in statu praexistentiae Deus impresserat , terrestribus hisce corporibus copulari , easque ipsas ideas sensim refodere , opinatus est Plato (*Log.* §. 361.) , quem sequuti sunt Proclus apud Danielem Huetium (*a*) , et Jamblicus (*b*) . Leibnitius rejicit quidem præexistentiæ statum ; sed tamen cum mentes asserat *idea* totius Universi , quam *mappam cosmographicam* vocat , vel a primo existentiae suae momento esse ornatas , eamque subinde consentanee ad ipsius Universi suorumque corporum , quibus alligatae sunt , mutationes evolvere , suapte-

que

(*a*) *Demonst. evangel.*
(*b*) *De mysteriis .*

que natura contemplari; omnes quoque ideas in eadem mappa velut depictas descriptasque *innatas* esse doceat necessum est. Dubiam atque incostantem Cartesii hac super re mentem jam exposuimus (§. 399.). Illud certum est, ipsum non omnes omnino ideas voluisse *innatas*, cum celebris sit ejusdem idearum in *adventitias*, *factitias*, atque *innatas* partitio (*a*). Purchotius (*b*) innatam vult ideam entis generatim, primorumque ejusdem attributorum, puta essentiæ, existentiæ, unitatis, veritatis, bonitatis, pulchritudinis, durationis, ordinis, relationis, proportionis; Jacquelotus (*c*) ideas existentiae, essentiae, cogitationis, judicii, volitionum, omnium denique principiorum ratiocinii; Guyonus ideas Dei, et legis naturalis, seu potius has duas idearum classes; Cochetus ideas infiniti, perfecti, et Dei; Henricus Morus (*d*) theoreticarum scientiarum omnium, et practicarum semina; Januarius Sanchez de Luna ideas divinitatis, religionis, similium, quemadmodum et prima moralia Philosophiae dictamina. Ex his porro colliges, Cartesianos neque ideas omnes, neque plane easdem esse innatas docuisse.

PROPOSITIO.

Neque omnes omnino, neque aliquæ mentis nostrae ideæ sunt innatæ.

402. *Pr.* 1. *pars.* Duplicem adversariorum manum aggredimur, Platonicos et Leibnitianos. A prioribus exordiamur. Commentitius imprimis est tam decantatus præexistentiæ animorum status (§. 161. *et* 162.). Tum nihil plane eorum recordamur, quæ in statu præexistentiæ cognovisset mens nostra (*Log.* §. 364.). Quare perinde res novimus in hoc unionis statu ac si nullae omnino earumdem rerum ideæ in nobis praecessissent. Et sane illa ipsa media, sensus nimirum, studium, labor, industria, quibus juxta Platonicos refodiuntur antiquae ideæ, ejusmodi sunt, ut eorumdem subsi-

(*a*) *Nota ad art.* 12. *laudati Programmatis.*

(*b*) *Log. part.* 1. *cap.* 1., *et Met. part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 4.

(*c*) *Systeme de l'ame.*

(*d*) *De immort. animae.*

subsidio mens nostra primum, de novo, et successione in hoc statu res cognoscere, earumque ideas sibi comparare possit, ut suo loco dicemus (§. 464. 465). Itaque superfluae ad minus sunt ideæ innatae, quas Platonici comminiscuntur.

403. Ad Leibnitianos quod pertinet: imprimis postulamus, ut ipsi assertam *mappam* clarius nobis explicent, ac firmis probent momentis. Quid enim si quis eamdem veluti plane commentitiam ac pro libito confictam traduceret? 2. Si ceu delineatae descriptæque in eadem sunt ideæ totius Universi, quis non videat, plane innumeras esse ipsas debere? nam etiamsi unam tantum spectemus triangulorum speciem; cum ejusdem altitudo, basi eadem semper perseverante, augeri in infinitum possit, manifestum est, quemadmodum observat Malebranchius (a), innumeras in mente nostra etiam unius speciei triangulorum ideas esse debere. Quid vero, si alias omnes spectemus corporum figuras, qualitates, affectiones, relationes, cetera? 3. Si omnes ideæ sunt reales, uti esse debent in hoc systemate; cur tot falsæ, fictitiae, chimericae? Si aeque continentur in mente; cur aliae clarae, aliae obscurae, distinctae aliae, et aliae confusae? Si nullatenus pendent a sensibus; cur semper et in quolibet homine suarum idearum seriem a sensibilibus rebus mens exorditur? cur cæcus a nativitate aut surdus, ille lucis, hic autem soni nullam omnino habet vel habere potest notitiam? cur planeta *Herscher* ejusque satellites, tum alii duo circum Saturnum recens detecti, Veterum nemini in mentem venerunt? cur denique qui antea, sensibus bene valentibus, res corporeas clare distincteque perceperat, subinde, laesis sensibus, nisi obscure atque confuse illas ipsas res non cognoscit? Hæc expediant, si possunt, Leibnitiani; tum illa omnia, quae adversus eorumdem de mentis et corporis commercio systema congerunt viri doctissimi (§. 331.). Quare non omnes omnino mentis nostrae ideæ sunt innatae. *Q. E.* 1. *pars.*

404. *Pr.* 2. *pars*. Si non omnes nostrae ideæ innatae sunt; alia quaerenda adstruendaque est non innatarum origo. Jam vero si has ideas successione producit Deus, cur non etiam alias? vel si aliquas sibi cudit mens nostra, cur, quaeso, non

(a) *Recher. de la verité liv. 3. part. 2. chap. 4.*

non omnes? nam sicuti ope sensuum, reflexione, comparatione, abstractione, ratiocinio, similibus aliquas, iisdem Cartesianis fatentibus, sibi mens comparat; ita etiam sibi producere illas potest, quas ipsi *innatas* adpellant, uti ex objectionum solutionibus manifeste constabit. Frustra igitur duplex adseritur idearum nostrarum origo, ut nempe aliae innatae nobis sint, et aliae utcumque a mente nostra effictae. Tum si ideæ *entis Dei pulchritudinis*, similium sunt innatae, cur res ab ipsis repraesentatas non eodem modo rudes homines atque infantes, quo doctiores excultioresque percipiunt? quippe eas ideas in seipsis omnes illi homines aeque continerent. Quapropter ne aliquae quidem nostrae ideæ dici possunt ac debent innatae. *Q. E.* 2. *pars*.

Solvuntur objectiones.

405. *Ob.* 1. Inclinationem ad summum bonum, quam dicunt *innatum* felicitatis *appetitum*, habent omnes homines; atqui *nihil volitum, quin praecognitum*, et idea summi boni est idea Dei: igitur Dei idea innata est. Ita Chaumeixius (*a*); et Winklerus.

406. ℞. Inclinatio ad summum bonum duplici in sensu spectari jure potest, scilicet *in actu*, ut ajunt, *primo*, quatenus ita a natura comparatus est homo; ut in ipsum summum bonum actu tum primum feratur, quum ejusdem notitiam habuerit. Innata quidem est id genus inclinatio; sed tamen Dei ideam non praerequirit, uti perspicuum per se est. *In actu* autem *secundo* spectatur, si actu in summum ipsum bonum fertur. Hoc sensu inspecta ideam Dei supponit: nam *nihil volitum, quin praecognitum, et ignoti nulla cupido*; sed tamen innata non est: aliter enim homines vel a primo vitae suae momento actu in Deum tenderent; quod quam falsum sit, nemo non videt. Uti igitur innata non est id genus inclinatio, ita deduci ex eadem non potest, ideam Dei seu summi boni esse nobis innatam (*). Hoc idem dicatur de inclinationibus propensionibusque in vitam, in famam, in scientias, in liberos, in divitias, in cetera.

Inst.

(*a*) *Tom.* 6. *art.* 1. *cap.* 7. *et art.* 2. *cap.* 4.

(*) *Consulantur, quæ in Logica disseruimus* (§. 366. et seqq.), *quæque præsenti instituto affinia quammaxime sunt*

407. *Inst.* Perspicuam Dei ideam homines sibi comparare conantur; atqui nemo conatur perspicuam rei alicujus ideam sibi comparare, nisi ejusdem ideam saltem confusam antea in mente habuerit: hanc itaque confusam Dei ideam habent homines ante omnem conatum. Sed rerum ideas nisi per conatum non acquirimus: ergo idea Dei saltem confusa acquisita non est, sed plane innata. Ita fere Mathias Doria (*a*).

408. ℟. Falsum est, homines ideam acquisitam habere nisi per conatum non posse, hoc est, nisi per voluntatis actum, quo ideam illam sibi comparare velint ac nitantur. Nonne plura materialis hujus Universi objecta ita obvia nobis fiunt, ut eadem ipsa sine ullo id genus nisu dignoscamus? neque tamen propterea harum rerum ideae innatae, juxta Cartesianos, sunt (§. 401.). Ad confusam Dei ideam quod pertinet, ipsam eodem fere modo obvioque, teste experientia, primum sibi comparant homines, nimirum vel audiendo, vel legendo, vel res corporeas, quae sub sensus cadunt, contemplando. Porro acquisita haec et confusa Dei idea mentem velut excitat, ut magis perspicue Deum ipsum per ratiocinium, vel per instructionem deinceps cognoscat.

409. *Inst.* Idea Dei est idea entis infinite perfecti; sed idea entis infinite perfecti ex imperfectis hisce creatis rebus acquiri non potest: ergo &c.

410. ℟. Idea, quam de Deo habemus, perfecta non est et positiva, nempe non ipsum Deum, qualis in se est, repraesentat; sed imperfecta admodum et negativa; adeo ut potius quid non sit Deus, quam quid sit, sciamus. Fit autem, quatenus perfectiones, quas in creaturis esse novimus, Deo tribuimus, deducimus, nectimus, ampliamus, omnemque ab iisdem imperfectionem ac limites, quantum possumus, removemus.

411. *Inst.* Idea infiniti fieri nequit ex finiti idea, sed potius versa vice: *intelligo*, inquit Cartesius (*b*), *me dubitare, me cupere, hoc est, aliquid mihi deesse, et me non esse omnino perfectum. Sed hoc non intelligerem, si prior quodammodo in me non esset perceptio infiniti, sive si nulla*

(*a*) *Difesa della Metafisica part. 2. cap. 5.*
(*b*) *Meditati. 3.*

nulla idea entis perfectioris in me esset, ex cujus comparatione defectus meos adgnoscerem. Cartesio assentitur Polignac ita canens (*a*):

. . . . Nec ipse
Finiti quidquam caperes, nisi semper adesset
Nota infiniti, teque illustraret imago.

412. ℟. Cognosci non posse, nos finitos esse atque imperfectos, nisi antea praecesserit idea infiniti, omnino negamus. Finiti enim et imperfecti idea, cum in plane omnibus sensibilibus, iisque etiam, de quibus per sensum intimum certi sumus, quaeque obvia ubique sunt, eluceat manifestissime; praecedere debet ideam infiniti, atque infinite perfecti. Hinc rudes homines optime norunt finitum, quin de infinito vel minimum cogitent, ipsique docti viri ideam infiniti concipiunt, quatenus quoscumque limites removent a finito. Sed neque comparatio cum idea infiniti requiritur, ut nos finitos esse intelligamus. Plane sufficit, quod res finita cum finita comparetur. Dolet hic homo; se non videre quod alter videt, et sui visus imperfectionem dignoscit.

413. *Inst.* Finitum non est tale, nisi ob negationem realitatis, quae ipsi deest ad hoc, ut sit infinitum; atqui negatio, utpote res non positiva, non est per seipsam intelligibilis, sed solum in objecto, quod omnem realitatem possibilem complectitur. Sane tenebrae nisi per comparationem ad lucem, cujus negatio sunt, non concipiuntur. Ita fere Auctor Operis *de la nature de l' ame* (*b*), Sylvanus Regis (*c*), et Polignac, qui superius argumentum suum ita prosequitur (*d*):

Ut tenebras nemo, nisi noto lumine nosset;
Namque infiniti tantum est absentia finis.
Qui monstrasse non id, quod adest, sed plura deesse.

414. ℟. Ens finitum non est pura puta infiniti negatio, sed quid positivum atque absolutum et absolutis perfectionibus praeditum. Quare primario aliquam prae se fert realitatem; atque intelligi per se ipsum potest; secundario autem majoris

(*a*) *Anti. lucr. lib. 9.*
(*b*) *Tom. 2. chap. 2.*
(*c*) *Usage de la raison &c. liv. 1. chap. 3.*
(*d*) *Loco citato.*

joris possibilis perfectionis carentiam secum fert; cujus quidem carentiae idea efformari a nobis potest, etiamsi cum unis ubique obviis finitis entibus comparatio instituatur (§. 412.).

Quod de tenebris additur, ad rem non pertinet: ipsae enim nihil aliud sunt quam mera lucis negatio; mera autem negatio concipi non potest nisi per relationem ad illud ipsum, quod negatur.

415. *Ob.* 1. Idea entis infiniti, sive Dei infinitam *realitatem objectivam* continet. Quis porro sibi persuaserit, mentem finitam ex finitis rebus infinitam hanc *objectivam realitatem* posse sibi cudere? Ita Cartesius (*a*).

2. Quod in tota natura humana observatur; naturale est; sed idea Dei; tum etiam, quorumdam principiorum, sive speculativa sint sive practica; in omnibus omnino hominibus ac semper reperitur. Est igitur naturalis. Sane quod innatum non est, sed effictum ab hominibus, non est idem in omnibus, non commune, non constans: unde tot ac tanta in rebus physicis philosophorum etiam illustrium exorta dissidia. Ita fere idem Cartesius (*b*), et Guyonus.

3. Summa Dei bonitas postulare videtur, ut sui ideam in omnibus omnino hominibus imprimeret; ne scilicet vel unus aliqua ac supina Conditoris sui ignorantia laboraret.

4. Linguam ediscere est huic signo vel alteri hanc vel illam ideam adnectere. Sed fieri istud non potest, nisi rerum ideae antea in nobis fuerint. Ne itaque Psittacorum instar Linguam discamus, ideae in nobis praecedant, atque adeo innatae sint oportet. Ita Chaumeixius (*c*).

5. *Ideæ incompletæ*, inquit Leibnitius, *sunt innatæ, quia veritates necessariae ex solis principiis menti insitis, non ex inductione sensuum demonstrari possunt; neque enim inductio singularium unquam necessitatem universalem infert*.

416. *ad* 1. *Per realitatem objectivam ideæ* inquit Cartesius (*d*), *intelligo entitatem rei repræsentatæ per ideam quatenus est in idea; eodemque modo dici potest perfectio obje-*

(*a*) *Respons. ad secundas objectiones.*

(*b*) *Loco citato.*

(*c*) *Tom.* 7. *art.* 3. *cap.* 5. *et* 10.

(*d*) *Loco citato.*

objectiva, *vel artificium objectivum*; *nam quæcumque percipimus tanquam in idearum objectis*. *ea sunt in ipsis ideis objective*. Haec autem verba, *entitas rei repraesentatae per ideam*, *quatenus in idea est*, vel significant rem, ad quam tanquam ad objectum terminatur idea; vel ideam ad rem tanquam ad objectum terminatam; vel tandem rem expressam in idea ac velut depictam, quatenus in idea est, quod brevius dici solet *objectum prout est cognitum*. Si primum illud; falsum est, ideam, quam de Deo habemus, infinitam realitatem objectivam in se continere: etenim ipsum Deum, seu infinitum ens quoad entitatem suam continere in se deberet; quod plane repugnat. Sin autem alterum; infinitam quidem realitatem objectivam in se continet idea Dei; sed hæc ipsa idea finita in se est, scilicet est idea finita et imperfecta entis infiniti, quod illa repraesentat, quam proinde sibi cudere vi sua potest mens nostra. Si tandem postremum; rursus verum esset, in nostra Dei idea contineri infinitam objectivam realitatem: Deus enim velut depictus in eadem foret ac repraesentatus. Cum tamen repraesentatio haec negativa sit, finita, et imperfecta (§. 410.); fit inde, ut nostrae mentis vim nequaquam excedat.

417. ℞. *ad* 2. Ideæ corporum, extensionis, colorum, solis, similium in tota natura humana observantur; neque tamen vel ipsis Cartesianis fatentibus, sunt innatae. Ad ideam Dei quod pertinet, si una excipiatur ejusdem existentia, quoad alia omnibus profecto hominibus communis non est: plures siquidem non Deum, sed monstrum potius sibi confinxerunt. Ut autem Dei seu supremi alicujus Numinis existentiam ad unum omnes cognoscant, necesse haud equidem est, quod idea ejusdem Dei innata sit. Derivari ex eo id commode potest, quod omnibus præsto sint media, quibus facili prorsus negotio ipsius Dei existentia a quovis dignoscatur.

Hoc idem dicas velim de certis quibusdam sive speculativis sive practicis primis principiis: adeo enim evidentia per se sunt, ut homines et facile eadem cognoscant, et ipsis adhaerescant firmissime.

Porro nonnisi imperite ad certas quasdam res physicas nos provocat Cartesius: neque enim ea de caussa exorta sunt circa easdem dissidia, quod illarum ideae innatae non sint, cum

cum etiam quoad plura, quae per sensus ideasque adventitias novimus, plane ac mirum in modum omnes consentiamus; bene vero quod res plures sensibiles non cognoscantur nisi diligentia, studio, experimentis, analogia, conjectura, aliisque id genus mediis, quae communia non sunt omnibus, et quae errori deceptionique non semel subjiciuntur.

418. ℟. *ad* 3. Si Dei bonitas postulasset, ut sui ideam in mentibus nostris primitus imprimeret, cur non, ut iisdem insculperet illa etiam omnia, quae omnino necessario credi ab hominibus debent? Ceterum salva prorsus consistit summa Dei in homines bonitas ac providentia: tot enim mediis, iisque ad assequendam ex creatis rebus Creatoris sui notitiam aptissimis ipsos munivit ornavitque beneficentissimus Deus, ut oraculo Sapientiae (*a*) *vani* dicantur ac reapse sint ii homines *in quibus non subest scientia Dei*, *et de his*, *quae videntur bona*, *non potuerunt intelligere eum*, *qui est*, *neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex*.

419. ℟ *ad* 4. ideas praerequiri, ne Psittacorum more Linguam discamus, concedimus Chaumeixio. Sed probandum eidem superest, has ipsas ideas esse innatas necessario debere. Infantes ope sensuum res plures cognoscunt, quin aut sciant nomina, quibus adpellantur, aut iisdem res illas significent. Interim nomina audiunt, eaque datis rebus applicari usu norunt et consuetudine. Postremo ideam rei cum nominis idea simul jungunt, atque ita Linguam ediscunt. Videat igitur Chaumeixius quam futile sit argumentum, quod omnino insolubile ipse depraedicat.

420. ℟ *ad* 5. Negamus Leibnitio, quod inductio singularium nunquam inferat universalem necessitatem. Infert profecto, si inductio quoad *materiam necessariam*, ut ajunt Logici, instituatur: quod enim uni vel alteri alicujus generis vel speciei singulari necessario convenit, ceteris quoque ejusdem generis vel speciei singularibus conveniat necesse est (*Log.* §. 231.)

421. *Ob.* 3. *ex Sacris Scripturis*. 1. *Signatum est*, inquit David (*b*), *super nos lumen vultus tui*, *Domine*. Quae verba exponens S. Augustinus, *hoc lumen*, inquit, *est totum hominis et verum bonum*, *quod non oculis*, *sed mente conspicitur*:

(*a*) *cap.* 13. *v.* 1.
(*b*) *Psal.* 4. *v.* 7.

spicitur : signatum autem dixit in nobis , sicut denarius signatur Regis imagine .

2. Scribit Job (*a*) , Deum *posuisse in visceribus hominis sapientiam .*

3. *Quod notum est Dei* , inquit Apostolus (*b*) *manifestum est in illis . Deus enim illis manifestavit .* Ac rursus , *gentes* , ait (*c*) . *quae legem non habent , naturaliter ea , quae legis sunt , faciunt , ejusmodi legem non habentes , ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis , testimonium reddente illis conscientia ipsorum , et inter se invicem cogitationibus accusantibus , aut etiam defendentibus .*

422. ℟. Notitiam de Deo non ex aliqua idea innata , sed ex rebus creatis nos haurire , passim docent sacrae ipsae Scripturae . *Invisibilia (Dei)* , inquit Apostolus (*d*) , *a creatura mundi , per ea , quæ facta sunt , intellecta , conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus , et divinitas .* Auctor Sapientiae (*e*) : *á magnitudine speciei , et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri .* David (*f*) : *coeli enarrant gloriam Dei .* Job (*g*) : *interroga jumenta et docebunt te , et volatilia cœli et indicabunt tibi : loquere terræ et respondebit tibi , et narrabunt pisces maris .* Perspicuá haec sunt . Nihilo tamen minus .

423. ℟. *ad* 1. Per *lumen* , quod signatum est super nos , intelligit S. Thomas *lumen rationis* , quo verum a falso , et bonum a malo tuto discernimus . Nec sane immerito : cum enim ex quorundam persona intersogasset David : *quis ostendit nobis bona ?* respondet , *signatum est super nos lumen* ; velut si dixisset ; lumen rationis , quod in nobis est , bona haec ostendit . Hebraicus autem Textus habet : *eleva super nos lumen vultus tui* ; quod significare ait S. Augustinus , amico et benigno oculo aliquem intueri . Sed ubi heic ,

queso ,

(*a*) *cap.* 38. *v.* 36.
(*b*) *Ad Rom. cap.* 1. *v.* 19.
(*c*) *ibid. cap.* 2. *v.* 14.
(*d*) *ibid. cap.* 1. *v.* 20.
(*e*) *cap.* 13. *v.* 5.
(*f*) *Psal.* 18. *v.* 1.
(*g*) *Cap.* 12. *v.* 7.

quaeso, vel minima idearum innatarum, de quibus loquimur ruga?

Quod in laudata Psalmistae verba scribit idem Augustinus, explicari ita commode potest, ut innuat, lumen rationis præcipuam esse perfectionem, per quam homo brutis animantibus, ceterisque inanimatis rebus praecellit, atque ad Dei *imaginem* conformatus est: hanc enim in rationalibus potissimum, iisque naturalibus humanae mentis facultatibus esse collocandam; probabilior est plurium illustriumque theologorum sententia.

424. ℟ *ad* 2. A jumentis, volatilibus, terra ac piscibus, scilicet ex sensibilibus rebus nos haurire scientiam docuerat Job (§. 422.). Itaque in hominis visceribus sapientiam posuit Deus, quatenus facultatem, qua et res creatas, et ipsum Deum cognosceret, eidem impertivit. Hoc sensu inquit S. Hieronymus (*a*), neminem esse, qui sapientiae *semina* in seipso non habeat.

425. ℟. *ad* 3. *Per ea, quae facta sunt*, Deum manifestasse hominibus quod ipsius Dei notum est, subdit idem Apostolus, (*b*)

In altero autem, quod objiciebatur, ejusdem testimonio, hoc unum innuitur, scilicet Gentiles, quamvis non haberent scriptam Mosis legem, attamen naturali rationis lumine, atque institutione cognovisse legis naturalis praecepta, eaque non semel adimplevisse. Hoc sensu ipsi sibi sunt lex, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddit ipsorum conscientia, atque accusant sese vel etiam defendunt.

QUÆSTIO XIV.

Utrum Mentes humanae in Deo res videant?

426. *Schol.* Omnes de idearum origine sententias ad sex capita redigit Malebranchius (*c*). 1. Vel ideae rerum, quas per seipsas non percipimus, a rebus illis, puta a corporibus nobis adveniunt: 2. vel producuntur ab anima: 3. vel eas

---

(*a*) *In cap.* 1. *Epist. ad Galatas*.

(*b*) *cap.* 1. *v.* 20.

(*c*) *Recher. de la Verité liv.* 3. *part.* 2. *chap.* 1.

eas menti a primo existentiae suae momento indidit Deus: 4. vel successive in eadem mente Deus ipsas producit: 5. vel perfectiones omnes, quas in corporibus videt mens, in semetipsa *eminenter* continet: 6. denique vel mens ipsa ita unitur cum ente perfectissimo, quod profecto omnes conditarum rerum perfectiones complectitur, ut has ipsas res videat per ideas, quae in ente illo, hoc est, in Deo continentur. Priores quinque opiniones primum refellit (*a*); ac demum concludit (*b*), *nos omnia in Deo videre*. Sed enucleatius hanc Malebranchii doctrinam explicemus. In duas veluti classes ea omnia, quae cognosci a nobis possunt, idem partitur (*c*): alia enim in mente sunt, ut sensationes, imaginationes, purae intellectiones, affectus, inclinationes naturales, similia; atque haec, cum sint modificationes ipsius mentis, seu potius mens ipsa hac vel illa ratione modificata, percipi sine ullis omnino ideis queunt. Alia porro extra mentem existunt, quae duplicis sunt generis, spiritualia nempe et materialia, quorum illa percipi posse sine ideis sed per seipsa, saltem in vita altera, verisimile putat; non ita vero haec posteriora. Magis perspicue mentem suam aperit hac super re subinde (*d*). Quatuor modos assignat, quibus res a nobis cognoscuntur. 1. *Per seipsas*: atque hoc modo solus Deus: 2. *per ideas*, hoc est, per aliquid a rebus ipsis distinctum; uti res corporeae. 3. *per conscientiam* seu *per sensum intimum*; ita profecto ipsa mens nostra vel potius actualium ejus affectionum existentia. 4. demum *per conjecturam*. Hac ratione novimus aliorum hominum mentes; conjicimus nempe, in aliis esse principium cogitans ei simile, quod esse in nobis cognoscimus. Quum itaque asserit, *nos omnia in Deo videre*, de unis corporibus, eorumque attributis, proprietatibus, et affectionibus verba facit Malebranchius (*). Hujus porro assertionis suæ fundamenta, quæ præsupponit

---

(*a*) *Chap*. 2. 3. 4. 5.

(*b*) *Chap*. 6.

(*c*) *Chap*. 1.

(*d*) *Chap*. 7.

(*) *Sibi non multum cohaerere fortasse videbitur Malebranchius, dum in suis* Illustrationibus (ad cap. 3. part. 3. lib. 2.) *totus est, ut ostendat, nos veritates immutabiles*,

praesupponit (*a*), sunt: 1. Deum omnium rerum, quas condidit, ideas in se continere: 2. Deum ipsum cum nostris mentibus arctissime praesentia sua uniri, adeo ut sicut spatium est corporum locus, ita Deus dici quodammodo possit *locus spirituum*. Hinc concludit, mentem in Deo videre posse id, quod repraesentat entia creata, hoc est, existentes in ipso Deo rerum creatarum ideas, cum sint maxime spirituales, intelligibiles, atque eidem menti praesentissimae; dummodo tamen velit Deus, has ipsas suas ideas nobis retegere. Deum autem id velle, probare conatus est nonnullis rationibus, tum etiam sive Scripturarum, sive SS. Patrum, præsertim vero S. Augustini auctoritate. Mens itaque nostra res omnes materiales in Deo, seu potius in ejus ideis videt, prout Deus ipse ex occasione sive nutuum voluntatis humanae, sive corporum eorumque mutationum suas ideas retegit eidem menti, exhibetque conspiciendas. Aliqua hujus systematis vestigia in Schola Platonis, maxime vero in Jamblico, et Plotino deprehendere visus sibi est Antonius Genuensis (*b*). Quidquid tamen sit, nemo unus fortasse est, qui causae malebranchianae patrocinium susceperit, si excipiatur P. Laurentius Berti, qui ideam Dei ipsum esse censet divinum lumen et indefectibile, quod humanis mentibus praesens est, et se per seipsum contemplandum proponit.

P R O P O S I T I O.

Mentes humanæ in Deo res non vident.

427. *Pr.* 1. Rerum ideae in Deo immutabiles sunt ac verae, hoc est, objectis suis perpetuo atque ad unguem respondent. At cognitiones, quas de pluribus rebus habent homines, pro sola etiam structurae sensuum, aetatis, tempe- ramen-

(*a*) *Chap.* 6.

(*b*) *Elem. Met. part.* 3. *cap.* 3.

les, universales, necessarias, et leges æternas in Deo videre: nisi forte dicere velimus, eo tantum in sensu id asseruisse, quatenus Deum in seipso videmus, qui est summa veritas, necessaria, universalis, et immutabilis; non autem quasi ipsas, sicut corpora, in ejusdem Dei ideis conspiciamus; tum quatenus Deus ipse praesentia sua ac lumine ita mentem illustrat ac modificat, ut eadem laudatas veritates cognoscat.

ramenti, similium varietate mutari; tum falsas saepe esse, ridiculas, monstruosas, chimaericas, noxias, nemo est, qui ignoret. Non itaque res illas in Deo, seu potius in Dei ideis vident.

2. Nos in Deo veluti in speculo rerum ideas videre non possumus, quin Deum ipsum *directe*, ut ajunt, et *immediate* conspiciamus. Negat quidem Malebranchius (*a*), *videre objecta in speculo repraesentata, esse ipsum speculum videre*, atque *inferendum esse, mentes videre essentiam Dei, ex eo quod omnia in Deo videant* (*b*). Res tamen per se loquitur; unde rotundis tandem verbis fatetur (*), *Deum videri*, sicut speculum, *modo licet imperfectissimo*. At docent sacrae Scripturae, Deum *lucem inhabitare innacessibilem* (*c*): *neminem unquam* in hac mortali vita *Deum vidisse* (*d*), ac *videre posse* (*e*).

3, Si Deum videmus, cur de aliis cogitamus rebus, quin ullo prorsus modo Deum ipsum mente concipiamus? cur quidam homines vel Deum ignorant penitus, vel ita confuse norunt, ut eumdem ignorare potius quam scire dici jure possint, vel negant, vel saltem in dubium revocant? Num Deus in ipsorum vel iguorantiae vel impietatis poenam iisdem se se subducit? Verum qui, amabo, fieri istud potest, si interim et intime, necessario, essentialiter uniti sunt cum Deo, et in Deo cetera alia objecta saltem corporea adhuc vident? Mittimus tum nostrum, cum aliorum hominum communem sensum, qui quavis alia ratione, quam malebranchiana sit, nos res cognoscere indigitat, et a quo nefas est recedere, nisi si invicta argumenta ad id nos compellat. Hoc unum addimus, nimirum hanc hypothesim sibi ipsi non multum cohærere: si enim in Dei ideis videmus res corporeas, cur non

---

(*a*) *Illustr. ad cap.* 3. *part.* 3. *lib.* 2. *Respons. ad* 4. *objectionem*.

(*b*) *Lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 6.

(*c*) 1. *ad Timoth. cap.* 6. *v.* 16.

(*d*) *Jo. cap.* 1. *v.* 18.

(*e*) *Exodi cap.* 33. *v.* 20.

(*) Ce n' est pas qu' on puisse dire ..... qu' on voit Dieu dès cette vie, quoique d' une maniere fort imparfait (Illusts. ad cap. 3. etc.)

non etiam spiritus ? quippe horum quoque ideae in Deo sunt. Quare mentes humanae in Deo res non vident. *Q. E. P.*

Contrariæ Malebranchii rationes expenduntur.

428. *Ob.* 1. Deus simplicissimus est in operando; sed talis non esset, si res in seipso videndas nobis non exhiberet: oporteret namque, ut ipse vel per se, vel per res alias produxisset vel produceret novas ideas, atque ideo per plura faceret, quae fieri possunt per pauciora. Ita fere Malebranchius (*a*):

2. Illa statui a nobis debet mentis a deo dependentia, qua major esse non possit. Atqui si mens nostra res videt in Deo, et quando Deus vult, summam habet ab eodem Deo dependentiam, quam certe non haberet, quoties non in Deo res ipsa conspiceret (*b*).

3. Si de re aliqua cogitare in particulari volumus, in res omnes mentem prius veluti injicimus. Ergo res omnes menti praesentes sunt. At praesentes eidem esse non possunt, nisi quatenus Deus, qui rerum omnium ideas in se complectitur, praesens ipsi menti est (*c*).

4. Praecipuus finis, quem in suis operationibus habet Deus, esse profecto non potest nisi Deus ipse. Hinc sicuti naturalis hominum amor in Deum velut in summum bonum tendat necesse est, ita etiam quævis nostra cognitio tendere in ipsum Deum veluti in summum verum debet, et lux, quam menti impertit Deus, aliquid nobis patefacit, quod in eodem ipso est. Profecto si Deus pro idea, seu pro immediato suæ cognitionis objecto solem menti concederet; mentem ipsam ejusque ideam propter solem, non propter seipsum fecisset (*d*).

5. Rationem omnibus omnino hominibus communem esse atque universalem scimus; hinc quisque hominum, si sanus sit, fatebitur, *bina binis addita efficere quatuor*. Sed undenam, quaeso, id scimus, nisi per universalem quamdam rationem; quae intelligentias plane omnes aeque illuminet? non enim alii in me vident, quod est in me, neque video in aliis, quod in aliis est (*e*).

(*a*) De *inquir. verit. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 6.

(*b*) *Idem ibid.*

(*c*) *Idem ibid.*

(*d*) *Idem ibid.*

(*e*) *Idem Illusts. ad cap.* 3. *part.* 3. *lib.* 2.

6. Ideas rerum esse immutabiles, veritatesque et leges aeternas esse necessarias, nemo unus negaverit: repugnat enim tales non esse, quales sunt. Jam vero nihil est in nobis, quod et immutabile sit et necessarium. Oportet igitur, ut illas in Deo cognoscamus (*a*). Praecipua haec sunt, quae nobis objicit Malebranchius, suae hac super re doctrinae momenta.

429. ℟. *ad* 1. Quaenam sit in Dei operibus simplicior via, Deus ipse noverit, cujus oculis fines omnes, omnesque modi, relationes, cetera nuda sunt atque aperta. Ad nos quod pertinet, tutum plane est, ac viris doctis probatissimum, consulere oportere effectus, observationes, intimam conscientiam, communem sensum, ea denique media omnia, quae menti nostrae concessit Deus, ut veritatem dignosceret, et quibus, quum de operationibus Dei sermo est, demonstratio *a posteriori*, ut ajunt, instituatur. At si id genus argumenta consulamus, non equidem adparet, nos omnia in Deo videre (§. 427). Ceterum si res in Deo videre est via simplicior; cur ergo idem ipse Malebranchius tot modos actam diversos assignat, quibus res ipsas mens cognoscit (§. 426.)?

430. ℟. *ad* 2. Licet mens humana non in Deo res videat; a Deo tamen pendet non modo quoad sui existentiam conservationem et vires, sed etiam quoad actus ipsos atque effectus, quatenus opus habet *immediato* ipsius Dei concursu, sine quo nihil agere potest, nihilque producere. Hæc mentis nostrae a Deo dependentia plane sufficit. Si enim non sufficeret, cur ergo ex Malebranchii sententia non omnes omnino ideas mens videt in Deo? Quod si eam praeterea dependentiam postulaverit idem Malebranchius, quae omnem quoque vim activam eidem menti adimat; actum omnino esset de humana libertate, tum sibi ipsi manifeste ac turpissime contradiceret. Hoc quidem alterum: idem enim ipse, uti alias vidimus (*Ontol.* §. 298.), perspicue docet, voluntatem nostram velle, agere, se se determinare. Primum vero: nam sine vi activa nulla omnino est ac esse potest libertas,

(*a*) *Idem ibid.*

bertas. Caveat igitur vir Cl., ne dum nos in Deo res videre conatur ostendere, plane inertes nos ipsos faciat, ac libertate privet.

431. R. *ad* 3. Falsum est, nos, dum de re aliqua speciatim cogitare volumus, mentem in res omnes velut conjicere, sed tantum confuse atque indistincte in eas injicimus, quas antea quavis ratione noverimus. Quocirca neque res omnes praesentes menti sunt, neque necesse est, ut ipsi praesentes in Deo videantur.

432. R. *ad* 4. Praecipuus operum Dei finis est Deus ipse; fateor: ergone omnia in ipso Deo cognoscit mens nostra? Verum cur seipsam, tum aliorum hominum mentes aliunde prorsus quam in eodem Deo, Malebranchio ipso docente (§. 416.), novit? Tendit quidem in verum; sed veræ etiam sunt res creatae, quae idcirco esse possunt ejusdem mentis objectum, quin propterea praecipuus excludatur finis, praesertim si propter Deum, qui est finis ultimus, res ipsas cognoscat. Ita profecto creaturas diligere potest voluntas (*Ontol.* §. 315.): sed si eas diligat propter Deum, hic amor in Deum ipsum tandem refuditur. Hinc falsum plane est, quod subdit Malebranchius, nempe Deum, si pro idea seu pro immediato suae cognitionis objecto solem menti concederet, ipsam mentem, ejusdemque ideam propter solem, non propter se fecisse. Ceterum nonne hoc idem dici et posset et deberet, si quidem mens nostra, uti scribit hic Philosophus (§. 416.), affectiones suas, seque ipsam per *sensum intimum* seu per *conscientiam* immediate cognoverit?

433. R. *ad* 5. Ideo omnibus omnino hominibus communis est *Ratio*, quia in ipsis aeque inest *lumen rationis*, cujus subsidio quaedam universales veritates, earumque nexus eisdem perspicue affulgent, nulloque negotio, immo plane necessario aliae ex aliis deducuntur (§. 388.). Porro Rationem reapse inesse in omnibus certo scio, ex quo externae eorumdem operationes penitus sint meis similes, discursus, propositiones, responsa, atque id genus aliae, quas nonnisi ex Ratione procedere, si me ipsum consulo, facile animadverto. Id autem sciri a me non posse, nisi in Deo hoc idem videam, est supponere illud ipsum, quod in quaestione est, quodque propterea demonstrandum superesset Malebranchio. Quare ex quo neque alii in me videant, quod est in me, neque ego videam in aliis, quod in aliis est; non inde necessario

sario sequitur, nos scire non posse, Rationem esse universalem, atque omnibus communem, nisi ipsam immediate in Deo videamus.

434. ℟. *ad* 6. Veritates immutabiles et necessariae spectari tum in se, tum relatu ad nos possunt. Primum illud ad praesens institutum ne hilum quidem pertinet, uti manifestum per se est. Hoc autem alterum ex eo procedit, quod intellectus noster ita a Deo conformatus sit, ut si aliqua veritas per se perspicua atque evidens eidem affulget, ipsi necessario atque ideo firmissime et constanter assentiatur. Hoc in sensu quaedam veritates sive *speculativae*, velut *totum est qualibet sui parte majus*, sive *practicae*, uti *Deus est colendus*, immutabiles etiam relatu ad nos sunt et necessariae; atque hoc ipso in sensu falsum est, nihil esse in nobis, quod immutabile sit et necessarium. Liquet porro, id plane firmum consistere, sive in Deo sive aliunde laudatas veritates cognoscamus.

435. *Ob.* 2. Sacrarum praeterea Scripturarum, et SS. Patrum, maxime vero Augustini auctoritate pugnat Malebranchius. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (a): Deus est *Pater luminum* (b), est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (c), ac *docet hominem scientiam* (d).

2. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte*: ita Apostolus (e). Eodem itaque modo, quo Beati, Deum videmus, illudque tantum intercedit discriminis, quod nisi *ex parte* in mortali hac vita Deum ipsum conspiciamus.

3. *Deus*, inquit Augustinus (f), *intelligibilis lux in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent, quae intelligibiliter lucent, omnia*. Tum *si ambo videmus*, ait (g), *verum esse*

(a) 2. *ad Corinth. cap.* 3. *v.* 5.
(b) *Jacobi cap.* 1. *v.* 17.
(c) *Jo. cap.* 1. *v.* 9.
(d) *Psal.* 93. *v.* 10.
(e) 1 *ad Corinth cap.* 13. *v.* 12.
(f) *Lib.* 1. *Soliloquiorum n.* 3.
(g) *Lib.* 12. *Confess. cap.* 25.

esse quod dicis et ambo videmus verum esse quod dico; ubi quaeso id videmus? nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate. Similia aliis in locis scribit S. Doctor.

436. ℟. *ad* 1. Duplici sub aspectu cognitionem in nobis operatur Deus, vel nempe tanquam Naturae, vel tanquam Gratiae auctor; Primum illud per lumen rationis, perque alia quaevis media, quibus ad id operis nos exornavit: hoc alterum per Revelationem, Prophetiam, supernaturale lumen, similia. Cum itaque haec omnia et singula ab uno Deo sint; omnis nostra sufficientia a Deo ipso est, ipse est Pater luminum, omnem illuminat hominem, eumque docet scientiam, quin necesse sit, ut omnia in eodem cognoscamus. Hoc idem vel ipse Malebranchius respondeat necesse est quoad cognitiones, quas per *conscientiam* vel per *conjecturam* sibi comparat mens nostra.

437. ℟. *ad* 2. Nos Deum videre *per speculum*, non aliud profecto est, quam ex creatis rebus Deum ipsum cognoscere, uti ad Romanos scribens docet idem Apostolus (*a*), atque ex objecto ejusdem testimonio satis manifeste colligitur: modum enim, quo nunc temporis cognoscitur Deus, opponit modo, quo in Patria a Beatis, nempe *facie ad faciem* videtur. Cum autem cognitio haec nostra ex creaturis hausta imperfecta sit et manca; jure optimo asserit, nos *ex parte* tantum Deum cognoscere.

438. ℟. *ad* 3. An Augustinus praeluserit Malebranchio, est saltem incertum, cum nisi subobscure loquutus hac super re sit. Imo S. Thomas ipsum interpretatur (*b*), velut si de una supernaturali visione verba fecerit. *Quod autem Augustinus*, inquit, *non sic intellexerit, omnia cognosci in rationibus aeternis, vel in incommutabili veritate, quasi ipsae rationes æternæ videantur, patet per hoc, quod ipse dicit* (*c*), *quod rationalis anima non omnis, et quaecumque, sed quae sancta et pura fuerit, asseritur illi visioni, scilicet rationum aeternarum esse idonea sicut sunt animae bonorum*. Ceterum pro comperto habemus et explorato, virum

(*a*) *cap.* 1. *v.* 20.
(*b*) 1. *part. q.* 84. *art.* 5.
(*c*) *Lib. qq.* 83. *q.* 46.

rum philosophum mancipari non debere cujusvis etiam doctissimi in naturalibus disquirendis rebus auctoritati (*Log.* §. 332.). Ad id nos compellit aurea illa, eaque verissima ipsius S. Augustini de se loquentis sententia: *credite Augustino probanti, non Augustino dicenti.*

Exponitur, ac refellitur Occasionalistarum super idearum origine hypothesis.

439. *Schol.* Deum quidem esse unum omnium idearum nostrarum auctorem, putant Occasionalistae; non ita tamen ut aut esse innatas velint, aut mentes nostras in Deo ipsas videre, sed tamen Deum ipsum ex occasione sive motionum corporum sive nutuum voluntatis humanae successu atque interrupte producere. (*)

PROPOSITIO

Occasionalistarum de idearum origine hypothesis admitti non posse videtur.

440. *Pr.* Indignum videtur Philosopho ad Deum veluti ad unam idearum nostrarum caussam confugere, nisi validissima ad id nos compellant momenta. Tum cur tam mira partium humani corporis dispositio, ordo, structura, si Deus est, qui rerum ideas se solo in mente nostra producit? Ceteris parcimus (**). Itaque Occasionalistarum de idearum origine &c. *Q. E. P.*

441. *Corol.* Si vera sunt, quae hactenus diximus, manifeste sequitur, Deum non esse solam atque immediatam idearum

(*) *Monemus Lectores nostros, ut non prius haec et sequentia ediscant et approbent, quam nostram expenderint opinionem, de qua in Physica Generali* (§. 378).

(**) *Consulantur, quae quoad Occasionalistarum de mutuo mentis et corporis commercio opinionem paullo superius dicebamus* (Annot. ad §. 327.). *Ex iis prior adducta ratio penitus evanescit. Sed structura requiruntur, ut serventur praestitutae motuum leges, datique fiant motus, secundum quos Deus mentem nostram primo determinet ad percipiendum.*

rum nostrarum caussam, sed creaturas, quae easdem vi sua producant. Duplex porro est, quantum ad praesens institutum pertinet, rerum creatarum genus, corpora nempe, et mentes. A corporibus Democritus et Epicurus, reliqui vero a mentibus ideas vere ac proprie produci opinati sunt.

Expenditur Democriti, et Epicuri eadem super re sententia.

442. *Schol.* Democritus si Plutarcho (*a*), et Ciceroni (*b*) fides, sibi persuasit, e rebus ipsis corporeis exiles quasdam leves minutissimasque superficies, facies, species, quæ substantiæ sunt, quasque ille *Idola*, Lucretius vero *simulacra* appellabat, quasi maxima abrasas industria perpetuo avolare, sensuum organa subire, deferri ad cerebrum, ibique tandem sisti, easque esse unicas ac veras rerum ideas. Similia docuit Epicurus et Lucretius, atque ideam centauri fieri, quatenus hominis et equi simulacra sive in aere sive in cerebro sibi obviam eunt, facilique negotio ob maximam eorumdem tenuitatem ita in unum junguntur, ut caput *hominem*, reliquum autem corpus *equum* repraesentet. Unde ita canit idem Lucretius (*c*):

Centauros itaque, et Scyllarum membra videmus,
Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:
Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua quae fiunt aere in ipso,
Partim quae variis ab rebus cumque recedunt,
Et quae consistunt ex horum facta figuris.

PROPOSITIO.

Commentitia plane est ac falsa Democriti, et Epicuri super idearum origine sententia.

443. *Pr.* Si nostrae rerum ideæ sunt corporeæ substantiales superficies alio avolantes, delataeque ad cerebrum, cur non mi-

---

(*a*) *Lib.* 4. *cap.* 8.

(*b*) *Lib.* 1. *de finibus cap.* 6. *et lib.* 1. *de nat Deor cap.* 38.

(*c*) *Lib.* 4. *de nat. rer. v.* 736.

minuuntur corpora, ex quibus abrasae sunt singulisque abraduntur momentis, vel etiam non penitus evanescunt? cur non plurimum augetur cerebrum, ad quod appellunt, et in quo demum sistuntur? Tum *quid est*, inquiebat Tullius (a), *quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numae, Pythagorae, Platonis, nec ex forma, qua illi fuerunt?* Quid, quod simul ac collibitum cuique fuerit, praesto est imago? Quid, quod imagines rerum, quae nullo unquam tempore extitere, nobis repraesentamus? Res quoque concipimus adeo a nobis dissitas, ut earum simulacra pervenire ad nos non possint, vel saltem incurrere in alia pene innumera deberent proindeque mirum in modum sociari, corrumpi, deformari. Postremo vel aliqua in nobis inest spiritualis substantia, quæ laudata simulacra cognoscat, vel non. Si hoc alterum: ergo ne ulla quidem in nobis inesset rerum corporearum, multoque minus abstractarum ac mere intelligibilium, puta *entis, relationis, ordinis, pulchritudinis, vitii, virtutis*, similium cognitio: haec enim haberi nisi in substantia spirituali non potest (*q.* 1.), et res abstractas mereque intelligibiles simulacra illa emittere ex se non posse, manifestum per se est. Sin autem primum illud; rursus quaesiverim: vel laudata corporea simulacra spiritualem substantiam velut ingrediuntur ac penetrant, ita ut *formaliter*, uti ajunt, seu quoad propriam entitatem in ipsa subinde contineantur ac perseverent, vel tantum cognoscuntur. Primum ridiculum est atque absurdum: etenim simplicissima substantia nequit substantias compositas, divisibiles, extensas quoad propriam entitatem in se continere. Si dixeris alterum; ergo praeter simulacra in cerebro sita atque impressa, aliquid in mente est, quod res corporeas cognoscit et repraesentat. Sed in hac hypothesi plane evanescit Democriti et Epicuri commentum: hoc enim *aliquid*, quod in mente repraesentat res, quodque a laudatis simulacris distinguitur nos dicimus *ideam* (§. 396.), cujus originem hoc loci investigamus. Quare commentitia plane est &c. *Q. E. P.*

QUÆ-

(a) *Lib.* 1. *de nat. Deor. cap.* 38.

QUÆSTIO XV.

Utrum mens humana congenita vi omnes rerum ideas sibi producat?

Placita Philosophorum.

444. Aliquas rerum ideas, *adventitias* nempe, et *factitias*, Cartesiani (§. 401.); Arnaldus autem, Wolfius, Lokius, Scholastici, ac Recentiorum pars maxima plane omnes a mente fieri per vim eidem congenitam putant, licet quoad modum, quo a mente ipsa producuntur, non omnino inter se conveniant; qua de re paullo inferius (§. 458. *et seqq.*).

PROPOSITIO.

Mens humana congenita vi omnes omnino rerum ideas sibi producit.

445. *Pr.* Vel ideae idem omnino sunt ac perceptiones, vel aliquid ab eisdem realiter distinctum (§. 397.). Si primum manifestum videtur, ipsas a mente nostra reapse produci: ipsa enim est, quae percipit et cognoscit. Sane internus sensus non minus nobis insinuat, mentem esse, quae vult ac se se determinat. quam esse, quae percipit reflectit judicat ratiocinatur. Tum si aliunde eidem menti advenirent perceptiones, volitiones autem ex seipsa eliceret, profecto diversam hanc illarum affectionum caussam atque originem discernere quam facile posset. Denique nemo negaverit, mentem nostram vivere *in actu*, ut ajunt, *secundo*, dum cogitat. Jam vero id genus vita in *actione immanente* consistit (§. 56.). Certum praeterea est, duplex tantum operationum genus in mente nostra esse, scilicet quae ad intellectum, et quae ad voluntatem pertinent. Postremo asseri nequit, ipsam mentem semper voluntatis actiones elicere: siquidem non raro unis intenta est operationibus intellectus. Nisi ergo dicamus, mentem non vivere in *actu secundo* toto eo temporis spatio, quo posteriores hæ operationes tantum in ipsa fiunt (quod sane dici non potest); compertum videtur, has ipsas intellectus operationes esse *immanentes*. At immanentes esse non possunt, nisi a mente ipsa producantur, ut perspicuum per se est (*Ontol.* §. 253.). Eas itaque vi sua sibi elicit mens, ac proinde si ideæ non sunt nisi perceptiones; illas ipsas congenita vi mens nostra sibi producit.

Hoc

Hoc idem dicendum videtur, si ideæ a perceptionibus realiter distingui supponantur: cum enim neque a Deo neque a corporibus tanquam a caussis efficientibus immediate procedant, uti ex hactenus dictis satis luculenter constat; reliquum est, ut a mente nostra ipsas produci asseramus. Nec conquerantur Cartesiani: nam si aliquae, ipsis concedentibus, a mente fiunt, cur, quaeso, non omnes? Quae cum sint, mens humana &c. *Q. E. P.*

Adversariorum momenta.

446. *Ob.* Antequam rei alicujus ideam sibi producat mens nostra; vel rem illam cognoscit, vel ignorat. Si cognoscit, ergo ejusdem ideam jam habet, proindeque non eam sibi producit, nisi dicere velimus, illam sibi producere antequam reapse producat; quod et ridiculum est, et secum pugnans. Sin autem ignorat: ergo ideam rei adhuc ignotae sibi efformat. Sed quis hoc dixerit? Nam ne pictor quidem potest ignotae rei expressam imaginem depingere. Ita fere Malebranchius (*a*). et Antonius Genuensis (*b*).

2. *Sed demus interim* mentem nostram id *posse*, hoc est, ideas simplices sibi creare; *quemadmodum* (*ut idem persequar exemplum*), subdit idem Genuensis, *si pictor ignotas in Saturno res depingeret, nullo modo asseverare posset, picturas hujusmodi ad vivum res illas exprimere, aut ullo modo esse illi similes, nisi haberi velit deridiculus; ita si mens ignotarum rerum ipsa sibi notiones crearet, incerta semper esset rerum extra se positarum, nec, nisi divinando, de illis disserere posset. Ut idcirco pateat, eos, qui hanc opinionem tuentur, omnem e manibus hominum rerum certitudinem et scientiam praeripere, illis commentitiam tantum et poeticam cognitionem concedere.*

3. *Ideae sunt formae rerum seu existentium, seu possibilium, quae idcirco continent realitatem objectivam earum rerum, quarum sunt exemplaria: si eas sibi mens creare potest, ante omnes ideas continere debet realitatem objectivam omnium earum rerum, quarum sibi ideas simplices producit, alioquin statuetur effectus sine ratione sufficiente,* quod

(*a*) *De inquir. verit. lib.* 3. *part.* 2.*cap.* 3.
(*b*) *Met. part.* 3. *cap.* 3. *schol. prop.* 28.

quod esse nequit. At realitaets rerum existentium aut possibilium sunt exemplaria, idest ideae, ut patet: ergo ante omnes ideas debet ideas easdem continere, quae sunt pugnantia. Ita idem Genuensis (*a*). Subdit porro: *neque vero dici potest, res illas, quarum ideas sibi producit*, eminenter aut virtualiter *in mente contineri nisi etiam dicatur, mentem humanam esse aut Deum, aut Dei partem*.

4. Ideae sunt quid reale et spirituale, proindeque materiali hoc mundo perfectius: ergo si mens easdem sibi produceret, vim quoque haberet *creandi*, efficiendique res mundo, quem creavit Deus, perfectiores; quod certe repugnat. Adde, difficilius esse, rem aliquam ex alia re, quae diversa sit, puta Angelum ex lapide produci, quam ipsam de novo sive ex nihilo creare. Ita fere Malebranchius (*b*), et laudatus Genuensis (*).

5. Si ideas sibi cudit mens nostra, vel eas producit antequam percipiat, vel postquam percepit, vel eo ipso momento, quo percipit. At horum nihil dici jure potest (§. 397).

6. Perceptio est actio, quae idcirco praesupponit objectum, circa quod ipsa versetur. Porro idea est objectum perceptionis: perceptio itaque ideam praesupponit. Sed hoc ipso idea non fit a mente: fieri enim nequit nisi per aliquam intellectus nostri actionem. Haec autem actio intellectus est perceptio: ergo idea a mente per perceptionem fieret; quod equidem esse nullatenus potest: ex dictis enim perceptio prae-sup-

(*a*) *Loco citat. prop.* 28.

(*b*) *Loco superius citato*.

(*) Il comun senso de' più illuminati Filosofi di questo secolo, *inquit idem Genuensis* (Epist. ad Contium n. 10.) ha fatto, che più non si dubitasse di questa dottrina, *id est*, che la mente può bene ella variamente associare delle idee semplici, può da quelle conjetturare dell' altre, estrarre delle semplici dalle associate: ma non può per niuna maniera formarsi delle prime, e semplici, che sono come la materia de' suoi pensieri. *Sed cur istas nequit sibi cudere, si potest illas? Nempe* ella non può più sopra il mondo intelligibile, che possa l' arte sopra il mondo sensibile de' corpi: in questi due mondi egualmente la materia non si può dall' uomo creare, ma si dee ricevere.

supponit, ideam tanquam objectum, circa quod versetur; aliunde vero quod praesupponitur, non fit profecto per id quod illud ipsum præsupponit, uti manifestum per se est.

7. Si vi, de qua agimus, mens nostra donaretur, posset ideas numero infinitas sibi producere; quocirca infinitam haberet potentiam. Tum cur aliquas ideas nequit, etiamsi velit, sibi efformare? Postremo quid sit idea, omnino ignorat: quomodo ergo eas ipsas sibi producit?

447. ℟. *ad* 1. Ignorat profecto mens nostra res, antequam ipsarum ideas sibi producat; sed tamen eo ipso tempore, quo eas producit, cognoscere res illas potest, ac reapse cognoscit. Quanam porro ratione evenire id queat, dicemus postea.

Exemplum pictoris nihil plane nos urget. Distinguenda sunt *naturalia* agentia ab *artificialibus*. Hæc, uti est pictor, opus habent idea exemplari, a qua ad agendum determinentur, et ad cujus normam opus suum conficiant; non autem illa, uti in percipiendo seu in cudendis ideis est mens nostra. Satis est ac super, si objectum corporeum per sensoriorum organorum impressiones, uti par est, eidem exhibeatur.

448. ℟. *ad* 2. In ea, de qua agimus, hypothesi commentitia sane non est ac poetica nostra de corporeis rebus cognitio. Cum enim mens alligata sit sensibus; quoties sensus ipsi per acceptas impressiones materialia objecta eidem menti, uti fas est, repraesentent, haec ipsa objecta percipit; tum certa est de suarum cognitionum veritate ex quo certa sit, quod sensus, si debitis subsint conditionibus, sunt fideles nuncii, testes, ministri (*Log.* §. 291. 292.). Exemplum pictoris, quod Genuensis persequitur, nihil nos premit (§. 447.).

449. ℟. *ad* 3. *Objectivae* rerum *realitatis* nomine jure intelligit Genuensis ipsas rerum *ideas* (§. 416.). Quamobrem mentem continere *realitatem objectivam* rerum perinde est, ac rerum *ideas* continere. Quo semel statuto, binis verbis objectum ejusdem argumentum diluimus. Nempe mens nostra ante omnes ideas non *formaliter*, ut ajunt, sed *virtualiter* tantum *objectivam* cognoscendarum rerum *realitatem* in se continet, scilicet vim habet potentiam facultatem rerum ideas sibi producendi; eadem plane ratione, qua mens ipsa antequam judicet aut velit, judicium ac volitionem in se praecontinet.

450. Porro fucum facit imperitis idem Genuensis, dum subdit, *neque vero dici potest, res illas, quarum ideas sibi producit, eminenter aut virtualiter in mente contineri*. Equidem mens nostra virtualiter in se non continet *res*, quarum ideas sibi effingit. Verum aliud sunt *res*, et aliud earum *ideæ*. De ideis rerum, non de rebus, quarum ideas sibi producit mens nostra, hoc loci disputat Genuensis et cum eo ipsi disputamus. Apage itaque vel minimam pantheismi suspicionem, qua sicut non semel quasdam alias philosophorum opiniones, ita hanc, de qua agimus, per fas et nefas aspergit.

451. ℟. *ad* 4. Ideæ sunt quid *reale et spirituale*, non tamen substantiæ sed modi, quae proinde vera proprieque dicta *creatione* opus haud equidem habent, ut producantur. Ceterum annon quid *reale* sunt et *spirituale* mentis nostræ volitiones? attamen vel ipso concedente Malebranchio (*Ontol.* §. 298.) a nobis ipsis fiunt.

Ideæ profecto, cum sint modi, sunt substantiis corporeis longe ignobiliores. Hoc idem constat, si ratio qua fieri possunt, spectetur; modi enim per simplicem *produtionem*, per *creationem* autem substantiae existentiam suam recipiunt. Mens igitur ideas producendo, nihil efficit, quod sit mundo materiali perfectius. Ceterum Malebranchio spirituales mentis nostrae volitiones rursus objicimus.

Quod subdit idem Malebranchius, ad modum pertinet, quo mens nostra ex rebus sensibilibus ideas sibi producit, ac de quo postea (§. 467.).

452. ℟. *ad* 5. Hoc argumentum eo demum spectat, ut ostendat, nostras ideas realiter non distingui a perceptionibus (§. 397.); quod si esset, validius haec, quam vindicamus, sententia firmaretur (§. 445.). Juverit tamen ad ea, quae mox dicemus, paullo accuratius attendisse.

453. ℟. *ad* 6. Si idea supponatur non distincta a perceptione, facilis sane est ad hoc argumentum responsio. Scilicet perceptio est quidem actio, quae immediatum praerequirit objectum, circa quod versetur. At ejus id genus objectum non est idea, de qua Adversarii, nempe forma quaedam seu imago in anima præexistens, si de sensationibus sermo sit; sed est interna cerebri motio, quae mentem ad percipiendum determinat. Porro rerum sensibilium ideæ seu cognitiones, quas hac via mens sibi cudit, sunt materies seu

.obje-

objectum, circa quod mens ipsa versatur, dum aliarum abstractarum rerum ac mere intelligibilium ideas seu cognitiones reflectendo, res seu earum ideas inter se comparando, abstrahendo, ratiocinandoque sibi producit, uti in sequente disputatione accuratius exponemus. Ita Arnaldistæ.

454. Sin autem idea a perceptione realiter distingueretur, alià via procedimus, quidquid demum hac super re putaverint alii, atque asseruerint. Sic itaque opinamur. Mentem humanam idea plane omni primitus destitutam, ac veluti *tabulam*, ut ajunt, *rasam* supponamus. Res, quas primum cognoscit, sunt sensibiles, ut manifestum cuique tum sui ipsius tum aliorum experientia est. Id genus res agant in sensus, mens vero a motionibus inde productis delatisque ad cerebrum ad percipiendum determinetur (*). Nulla hactenus apparet idea, quæ a perceptione distincta sit ac diversa. Sed interim haec ipsa perceptio, quae est ejusdem mentis modificatio, mentem ipsam velut modificatam, seu aliquod sui vestigium in mente reliquit; eadem fere ratione, qua, ut sensibili utar exemplo, per sigillum imago in cera imprimitur (**). Hoc vestigium, quodcumque demum sit, quod per-

(*) *In hypothesi quod corpus non physice et immediate agat in animam, neque proinde hanc ipsam immediate determinet ad percipiendum, loco corporis assignari debet Deus* (Phys. Gen. §. 378.).

(**) *Nos non latet, hanc doctrinam et salebrosam esse et difficultatum plenam; verum non adeo fortasse a rerum natura abhorret, ut vel repugnare, vel saltem spernenda ac nullius usus putanda sit ac videatur. Mittimus supernaturales habitus, tum characteres, quos quaedam Sacramenta in mente nostra imprimere, atque etiam superesse, catholica fides docet: uti enim ipsi effectus sunt divini operis, ita etiam vestigia perceptionum esse poterunt operis nostri sive actionum mentis effectus. Naturales habitus paullo attentius expendamus. Convenit inter Philosophos, ipsos esse quasdam, ut ajunt, facilitates, quas exercitio nobis comparamus, quaeque naturae non inditæ sunt, sed superadduntur. Igitur repetiti actus quidquam in nobis relinquunt, quod antea*

perceptioni, perceptaeque etiam rei respondet, atque in mente, perceptione ipsa cessante, adhuc perseverat, nos *ideam* adpellamus. Hac semel statuta hypothesi, et idea a mente fieret, et a perceptione distingueretur. Primum illud: nam sicut mens percipiendo sese modificaret, ita hujus modificationis vestigium, hoc est, *ideam* sibi produceret. Sed etiam alte-

---

tea in nobis ipsis non fuerat. Numquid nostrum corpus habitus suos habet, non autem habet suos mens nostra? Non negamus, habitus mentis a corporis habitibus plurimum pendere; sed tamen nemo fortasse negaverit, animum quoque ita esse per actuum suorum exercitationem comparatum affectumque, ut facilius expeditiusque similes actus subinde exerceat. Nobis profecto persuasum est, facilitatem ad reflexionem, attentionem, abstractionem, contemplationem, ratiocinationem, aliasque ceteras mere intelligibiles mentis nostrae actiones quidpiam esse quod mentem ipsam afficiat, cum intelligi vix possit, quomodo sola, sola, inquam, facilitas, qua rursus excitantur in cerebro eædem vel similes motiones, adeo valeat, ut etiam mens ab his affecta facilius expeditiusque intellectiones suas exerceat, quin et ipsa aliquid in se habeat, cujus subsidio vires suas facilius promtiusque exerat. Jam vero si repetiti mentis actus aliquid in mente ipsa relinquunt; cur non etiam perceptiones quod sui vestigium, formam, imaginem, speciem, seu usitatiori vocabulo nos ideam *adpellamus?*

Sed aliud phaenomenon, quod ad rem nostram propius attinet, juverit expendisse. Non semel fit, ut perceptae alicujus rei recordemur, tum recordemur deinde, nos antea recordatos fuisse, quin tamen simul reminiscamur rei, quam primum perceperamus. Nemo fortasse est, quid id genus phaenomenon aliquando expertus in seipso non fuerit. Perspicuitatis gratia perceptio rei vocetur A*; prior recordatio* B*, quae praeter iteratam rei perceptionem complectitur quoque* advertentiam *seu* reflexionem*, qua conscii reddimur, nos rem illam antea percepisse; haec itaque ipsa advertentia vocetur* C*: altera demum recordatio, seu recordatio recordationis* D. *Cum in posteriori hac recordatione rei perceptio* A*, ex hypothesi, menti non exhibeatur; nihil aliud spectandum superest, quam*

alterum; ea enim *realiter* a se invicem distinguuntur, quorum unum sine altero existit, vel saltem existere potest (*Ontol.* §. 128, *n.* 3.), seu quæ separari a se invicem queuut. Jam vero in hac hypothesi idea, cessante perceptione, adhuc persisteret. Si hæc attente perpendantur, constabit, non desiderari objecta, circa quæ nostrae perceptiones versentur, eaque partim esse motiones cerebri, quae non fiunt quidem a mente, sed neque sunt ideæ sensu proprio acceptæ (*Log.*

---

quam advertentia C. *Hanc igitur advertentiam pro objecto habet posterior recordatio* D. *Porro advertentia haec non fuerat nisi plane intimus mentis nostrae actus, atque, ut ita dicam, velut intuitus in perceptionem* A, *scilicet in actionem immanentem ejusdem animae. Quare non videtur, quod per ipsam vestigium aliquod impressum in cerebro fuerit, quod illam immediate repraesentaret. Nunc quaesiverim, quodnam sit immediatum recordationis* D *objectum? Non equidem rei perceptio* A: *haec enim menti non exhibetur. Non vestigium cerebri, cum nullum in eodem impressum fuerit, quod laudatam advertentiam* C *exprimeret. Non denique eadem ipsa actualis advertentia* C; *nam non fuerat nisi actio, actio autem haec cessasse supponitur antequam haberetur posterior recordatio* D. *Superest ergo, ut advertentia* C *aliquod sui vestigium in mente reliquerit, quod sit immediatum recordationis* D *objectum, quodque nos ideam advertentiae* C *adpellamus. Hoc idem dici posset de aliis ceteris mentis nostrae actionibus, adeo ut quaelibet aliquod sui vestigium seu ideam in mente ipsa velut impressam relinquat.*

Tandem compertum est, mentem non recordari rerum, ad quarum impressiones antea minime attenderit, licet res illæ affecerint sensus externos, impressiones ipsae fuerint ad cerebrum delatae, in eoque reliquerint vestigia respondentia. Neque enim ad horum impressionem id cerebro requiritur animi attentio sive advertentia, cum impressio illa sit effectus mechanicus, haec autem advertentia impressionem supponat. Fieri igitur potest, ut ad iteratam earumdem rerum praesentiam rursus excitentur vestigia antea impressa in cerebro, et res per ea repraesentatae percipiantur.

Cur

(*Log.* §. 20.), neque de iis hoc loci disputamus; partimque esse veras proprieque dictas ideas a mente productas, et a perceptionibus ipsis distinctas. Hæ porro ideæ fierent quidem per perceptionem seu actionem intellectus; non essent tamen objecta illarum perceptionum, per quas illae ipsæ numero ideæ fierent, sed perceptionum aliarum, quae subinde

---

Cur ergo nulla unquam de iis rebus habetur recordatio? Nimirum si animus non advertit priorem impressionem, ne percipit quidem res ipsius impressionis causas, neque proinde ullas de ipsis ideas sibi producit. Ut itaque habeatur recordatio, videtur necesse, quod animus sibi cudat rerum ideas seu vestigia spiritalia, quae etiam post perceptionem in eodem ipso animo perseverent, quaeque idcirco ab anteacta perceptione illa sint realiter distincta.

Neque vero abs me importune quaeras, quid demum sint id genus vestigia. Nam plura inesse in mente scimus, quae tamen quid sint, omnino ignoramus. Saltem cur, instas, mens unico velut intuitu omnia haec vestigia in eadem ceu depicta, ipsique intime atque aeque praesentia non dignoscit? Sed vicissim peto, cur unico veluti intuitu non cognoscit ea omnia, quorum vestigia vel impressiones in cerebro hic et nunc sunt aut fiunt? Nempe attentio nostra cum finita sit, si in uno vel altero spiritali vestigio defixa fuerit, cetera non advertit.

Haec porro est hypothesis illa, quam superius (§. 397.) indicavimus, quamque acriori doctorum judicio eo libentius subjicimus, quo nos tanti nosipsos non faciamus, ut nostras opinationes decretorie ac veluti ex tripode aliis venditemus. Si cui placuerit, poterit ipsam ulterius promovere ac firmare. Illud certe commodi inde orietur, scilicet ut faciliori negotio explicari fortasse possint memoriae phænomena; tum cur mens nostra: etiam post mortem corporis anteactas cognitiones ad se revocet; quique demum fiat, ut mens ipsa, quo magis à rebus sensibilibus, corporeisque phantasmatibus sese abstraxerit, eo etiam acutius profundiusque res metaphisicas abstractasque verset et contempletur.

hinde a mente producerentur; quod sane neque insulsum est neque absurdum (*).

455. ℟. *ad* 7. Infinita potentia requireretur, si aut ideae essent actu infinitae, aut infinito modo rem aliquam mens cognosceret: hoc enim concipi nequit, nisi mens ipsa infinita esset, uti quoad Deum perspicuum per se est. At nihil horum vi hyothesis, de qua agimus, admitti necessario debet: nostrae quippe ideae finitae actu sunt, et nisi finito modo res non cognoscimus. Eo modo se habet intellectus, quo voluntas. Sicuti voluntas potest successione alia atque alia objecta, si praesto eidem fuerint, velle; ita quoque potest intellectus alias atque alias rerum ideas sibi producere, quin potentia infinita necessario requiratur.

456. Ea porro de caussa non potest mens omnes ideas actu sibi producere, quod et finita sit, et a rerum actione, praesertim si de sensibilibus sermo fiat, omnino dependeat.

457. Neque demum mirum, si mens ideas sibi cudat, quamvis earum fundum ac naturam prorsus ignoret. Vult procul dubio; nec tamen quid reapse sit suummet velle, ipsa cognoscit, uti vel ipse Malebranchius sancte fatetur (§. 341.).

Huc etiam pertinent ea argumenta, quae adversus creaturarum vim et efficaciam universum spectatam urgebat Malebranchius (*Ontol*. §. 310. *et seqq.*), quaeque solide, opinamur, ac luculenter jam refutavimus (*ibid.* §. 315. *et seqq.*). Hactenus de efficiente idearum nostrarum caussa. Nunc de modo, quo mens nostra easdem sibi producit.

QUÆ-

(*) *Ex hactenus dictis facile constat ad ea responsio, quibus ideam a perceptione non distingui probare conantur Arnaldistae* (§. 397.). *Idea in hac hypothesi esset veluti perceptionis effectus. Quid porro mirum, si effectus eodem momento temporis producatur, quo actio fit; qua effctus producitur, quamvis actio ipsa et effectus inde productus non sint omnino unum idemque? Imo vero ita evenire profecto debet, etiam dum creaturae utcumque operantur. Neque est inutilis idea, quam mens res percipiendo sibi producit: ipsa namque inservit tamquam immediatum aliarum subsequentium perceptionum objectum.*

QUÆSTIO XVI.

Utrum in omnibus omnino suis ideis sibi cudendis a sensibus pendeat mens nostra , et quomodo ?

458. *Schol.* Aliquam idearum nostrarum a sensibus dependentiam agnoscunt fere omnes ; sed tamen diverso prorsus modo eandem explicant . Platonici pendere asserunt , quatenus ideae in praexistentiae statu jam habitae , in statu unionis per sensus iterum excitantur ac velut refodiuntur (§. 401.) . Malebranchius , quatenus sensus sunt caussa , cur Deus ideas suas menti nostrae conspiciendas exhibeat ac repræsentet (§. 426.) . Occasionalistae , quatenus sensus ipsi Deo occasionem præbent , cur se solo ideas in mente nostra successione et immediate producat (§. 439.) . Haec expendimus jam ac refutavimus . Alterum , quod postremum est , superest dependentiae genus . Cum mox ostenderimus , mentem nostram vi sibi congenita ideas plane omnes sibi producere ; quaerimus , utrum mens ipsa in earum productione ab iisdem sensibus pendeat ? Quod quidem duplici modo obtineri potest , nempe *immediate* , quoties sensus mentem ad suas ideas sibi cudendas immediate excitent atque determinent ; *mediate* vero , si mens ipsa ex ideis , quas immediata sensuum ope sibi excuderat , ideas aliarum rerum , scilicet abstractarum ac mere intelligibilium sibi ipsi demum producat .

Sententiarum compendium .

459. Omnem omnino idearum a sensibus dependentiam e medio tollunt Leibnitius , ac Wolfius , quorum ille docet , omnes ideas non modo esse in *mappa* , ut ait , *cosmographica* veluti insculptas descriptasque (*Annot. ad n.* 6. §. 331.) , sed etiam sine ulla sensuum ope paullatim evolvi ; alter vero , fieri quidem a mente humana , cum ideae non sint nisi perceptiones ; sed tamen id operis mentem praestare suapte natura ac genio , quin a sensibus vel minimum pendeat , Contra pugnant Scholastici et Lockiani , quibus probatum est celebre ilud ac vulgatissimum : *nihil est intellectu , quod prius non fuerit in sensu* . Cum tamen quoad modum non plane inter se conveniant ; singulorum opinationem seorsum ac dilucide exponamus necesse est .

460. Scolastici itaque arbitrati sunt , sensibilia objecta externa in sensus nostros agentia non localem tantum impres-

sionem

sionem seu motum eisdem sensibus communicare, verum etiam corporeas quasdam exilissimasque *entitatulas*, quas *species intentionales* vocant (*), quaeque non substantiae sunt, ut falso opinatus est Democritus et Epicurus (§. 442.). sed *qualitates* tantum ab ipsis corporibus sive egressae et huc illucque delatae; sive in medio; quod intercedit, indeque etiam in sensibus de novo ac successione productae (**), tandemque ad illam usque cerebri nostri partem propagatae, in qua imaginandi vim collocant. Materiales has species appellant etiam *imagines*, *phantasmata*, *simulacra*, *et ideas materiales*, quarum metamorphosin ita explicare conantur. Duplicem in nobis intellectum, *agentem et patientem* confingunt, qui sunt vel binae vires, facultates, potentiae unius ejusdemque animae, vel bini gradus ejusdem virtutis, atque a se invicem *realiter*, ut putant Thomistae *(a)*, per Scotistas *formaliter* *(b)*, juxta alios demum nonnisi *ratione* distinguuntur *(c)*. Manifestum hinc est, quantum ab Arabibus, quorum opinionem superius retulimus (§. 239.), discrepent hac super re Scholastici. Unicuique peculiare suum munus adscribitur. Ad agentem quod pertinet, Johannis Bac-

(a) Thomas. part. 1. *q.* 79. *art.* 4.

(b) Jo Duns Scotus in Quodlibetis q. 15.

(c) Piccolomineus lib. 1. *de humana mente cap.* 12.

(*) Intentionales *dicuntur*, *sive quia ob ipsarum tenuitatem ad spirituales plurimum accedunt sive quia in hominibus ad cognitionem atque ad intellectum ordinatae sunt* (P. Frassen tom 3. disput. 3. sect. 3. art. 1.).

(**) *Quidam de Schola philosophi putant, laudatas qualitates prius in objectis existentes ab eisdem egredi, medium, puta aerem permeare, subire sensus, ac demum deferri ad cerebrum ibique sisti. Cum autem fieri istud non possit, quin ipsae de subjecto in subjectum transeant; alii, quos inter P. Frassen, opinati sunt, easdem de novo ac successive produci; eadem ferme ratione, qua, juxta Recentiores, aer a sonoro corpore immediate perculsus et excitatus aerem sibi proximum atque ita porro sic movet ac percutit, ut hic motus ad aures usqe propagetur, producta in ipsis impressio deferatur ad cerebrum, mentemque ibi existetntem ad illam sensationem excitet, quam sonum adpellamus.*

Bacchoni sententia est , quod ipse materialia phantasmata seu *species impressas* solum illuminet , easque reddat actu intelligibiles ; S. Thomae , quod phantasmata non illuminet modo , sed etiam inde expressas intelligibiles species intellectui patienti consignet ; Alexandri Aphrodisei , quod phantasmata illuminando in iisdem imprimat certam quamdam spiritualem formam et speciem , ob quam intelligi ab intellectu patiente possint ; Scoti denique , quod species intelligibiles a phantasmatibus abstrahat (*) . Sed quidquid sit , intellectus patientis munus est has ipsas species , spirituales ab agente intellectu jam effectas active percipere atque intelligere . Hinc duplex illa tam celebris species , *impressa* nempe , quae ab objectis externis emissa in sensibus imprimitur , in cerebro , in intellectu agente ; *et expressa* , quae est species ab agente intellectu spiritualis reddita , et patienti intelligenda consignata , quaeque *verbum mentis* nuncupatur .

461. Cl. Lockius hypotesim hanc expurgavit , novaque , ut ita dicam , forma vestivit . Docet nempe , mentem , quæ tanquam *tabula rasa* creata a Deo statuitur , uno eodemque intellectu seu vi rerum sensibilium ideas , quas vocat *simplices* ac *primitivas* , sibi condere , quatenus ad eas sibi producendas immediate determinatur ab impressionibus , quæ sunt vel localis motus sive spirituum animalium , sive nervorum , vel certa quædam cerebri configuratio ab impressionibus illis producta et ad motum utcumque excitata . Addit porro , mentem ipsam ex hisce simplicibus ac primitivis ideis ceteras alias ope reflexionis , abstractionis , ratiocinationis , conjecturae , analogiae , similium sibi deinceps cudere . Quare ideae plane omnes a sensibus pendent ; *immediate* quidem ideae rerum sensibilium , si sensus ipsos afficiant , ideae autem ceterarum nonnisi *mediate* (§. 458.) .

PRO-

(*) *Intellectui agenti aliud munus adscribunt Scholastici ; nimirum ipse est , qui spiritualem* entitatem *seu realitatem , quae ex anima in corpus transire debet , ut ipsum moveat , reddit* materialem *, atque efficit , ut illa ipsa realitas in vim motricem abeat* (§. 338.) .

PROPOSITIO I.

Scholasticorum super idearum origine sententia est plane commentitia.

462. *Pr.* Commentitiae imprimis sunt *entitatulae* illae, quas *species intetionales* vocant. Nam esse non videntur nisi *sensibiles* illae *qualitates* tantopere in Scholis decantatæ, quae neque substantiae sunt, neque purus motus, quasque jam dudum invicte profligarunt recentiores Philosophi (*Phys. Gen.* §. 1522.).

Commentitius præterea est duplex ille intellectus *agens et patiens*. Nam vel intellectus agens cognoscit, vel non. Si primum; ergo vel confundi debet cum patiente, vel ipse idem patiens eliminandus est: neque enim aliud hic praestat, quam res cognoscere. Si igitur res cognoscit agens, patiens erit prorsus inutilis. Sin autem non cognoscit, ne *intellectus* quidem dici jure potest. An tu intellectum dixeris, quod nunquam ac plane nihil intelligit?

Postremo commentitium est munus, quod intellectui agenti vulgo adscribitur. Quum enim materiales species reddit spirituales, vel hoc ita efficit, ut nihil omnino materialis et corporei in speciebus illis supersit; vel ita, ut tantum aliquid materialis adhuc in ipsis perseveret; vel ita denique, ut nihil materialis laudatae speeis deperdant, sed plane eædm, ut antea, adhuc persistant. Si primum: ergo nihil prorsus illarum specierum, phantasmatum, simulacrorum in cerebro restet necesse est; in eo siquidem esse non potest, nisi quod materiale sit et corporeum. At si nihil restat, quonam modo rerum sensibilium memoriam explicabis? Si secundum; nulla imprimis assignari poterit sufficiens ratio, cur intellectus agens unam ejusdem speciei partem destruat, non autem alteram. Tum utraque pars, nempe et quae perseverat in cerebro, et quae effecta est spiritualis; manca foret et imperfecta; atque hinc imperfecta quoque esset memoria sensitiva, et intellectus patiens nonnisi ex parte unam eandemque rem cognosceret; neque enim intelligit, nisi quod effectum fuerit spirituale. Si demum tertium, si nempe laudatae species nihil materialis et corporei amiserint, quomodo dici possint spirituales effectae, tum quanam ratione easdem cognoscat intellectus patiens, ego sane non video. At, inquis, intellectus agens quasdam ex speciebus illis abstrahit spirituales imagines. Sed nihilne, peto, ab ipsis detrahit?

an

an vero aliquid? Si nihil; non ergo effectae sunt spirituales sin autem aliquid; non ergo, ut antea; sunt. Nihil, reponis, detrahit intellectus agens, sed tantum consentanee ad phantasmata illa corporea ideas seu spirituales quasdam imagines vi sua sibi producit. Bene habet: ergo sicut phantasmata, ita etiam res cognoscit: quid enim est sive phantasmatum sive rerum ideas sibi cudere, quam res ipsas cognoscere? At si intellectus agens cognoscit res, redit, quod antea urgebamus, argumentum, nimirum intellectum patientem esse omnino inutilem. Quae cum sint, quocumque se vertant Scholastici, eorum super idearum origine sententia est plane commentitia. *Q. E. P.*

463. *Corol.* Manifestum videtur, quod si ideae a sensibus pendent, haec dependentia ea sit, quam adstruunt Lokiani (§. 461.).

PROPOSITIO II.

In omnibus suis ideis sibi cudendis a sensibus pendere videtur mens nostra, immediate quidem quoad ideas rerum sensibilium, quoad reliquas vero nonnisi mediate.

464. *Pr. 1. pars.* praeterquamquod communis omnium hominum sensus sicuti corpus physice agere in animam, (§. 339.), ita etiam animam in sibi cudendis rerum sensibilium ideis immediate pendere a sensibus, insinuare videtur; plura quoque in nobis ipsis, aliisque hominibus observamus phaenomena, quae hoc idem confirmant. Nam 1. mens a producendis rerum sensibilium ideis constanter exorditur. 2. Major idearum numerus in iis est, qui magis, quam qui minus cum sensibus versantur. 3. Qui aliquo sensu, carent, nullam de objectis, quae illius sensus propria sunt, notitiam possunt sibi comparare. 4. Si sensus fuerint perfectiores, ideae quoque sunt magis perspicuae; si instrumentis acuantur, res cognoscimus, quas aliter nunquam cognovissemus; si obtundantur, obtunditur etiam nostra cognitio. Mittimus sexcenta alia id genus phaenomena; quibus mens humana quoad ideas rerum sensibilium a sensibus immediate dependere videtur, *Q. E. 1. pars.* (*)

(*) *In nostra hypothesi ideae rerum sensibilium* immediate *pendent a Deo quatenus ipse animam ad easdem res per-*

465. *Pr.* 2. *pars.* Ne per plura vagemur; ideas Dei, mentis nostrae, universalem, tum alicujus sive speculativi sive practici principii seligamus. Hinc enim facile quisque sibi persuadebit, mentem nostram posse ex ideis rerum sensibilium, aliarum quoque rerum ideas sibi producere. A priori exordiamur. Itaque corpus aliquod ope sensuum mens percipiat. Ipsum existere quidem advertit, sed non ita, ut eidem omnino repugnet non existere. Est igitur ens contingens (*Ontol.* §. 41.), proindeque non *a se*, sed *ab alio* existit (*ibid.* §. 55.), et quidem ita, ut quaecumque entium contingenter existentium series statuatur deveniendum tandem sit ad ens absoluta necessitate existens (*ibid.* §. 58.), seu absolute necessarium, quod est Deus. Cetera supremi hujus Numinis attributa facili ratiocinatione deducuntur, uti ex Theologia naturali manifeste constabit.

Ad ideam mentis nostrae quod pertinet, aliquam sensationem sibi eliciat. Hinc intimus sensus, qua hujus sensationis existentia nobis constat; tum dignoscimus, hanc ipsam actionem simplicem esse, materiae repugnare, proindeque animam, a qua fit, spiritum esse debere.

Singularem ideam alicujus rei corporeæ, puta lapidis impenetrabilis per contactum sibi cudat mens nostra; tum hanc lapidis proprietatem, lapide ipso non speciato, per abstractionem concipiat, fiet abstracta *impenetrabilitatis* idea, quæ cum aptari cuivis corpori aeque possit, vulgo *universalis* adpellatur (*).

Tabu-

---

percipiendas sive ad earum ideas sibi cudendas immediate *determinat; pendet autem* mediate *a sensibus, quatenus horum mutationes sunt caussae occassionales, cur mens ad laudatas ideas sibi cudendas a Deo determinatur. Adductae rationes nonnisi hoc alterum probant, rejecto influxu physico, proindeque locum habent in nostra etiam opinione.*

(*) *Non accurate ideam* universalem *quidam intellexisse videntur, quasi ipsa aut quidpiam reapse* universale *a parte rei, ut dici solet in Scholis, repræsentet, aut a mente nostra* universalis *reddatur. Falsum est enim. aliqiuid esse vel esse posse in rerum natura seu* a parte rei, *quod revera universale sit* (Ontol. Annot. ad §. 103.). *Falsum prae-*

Tabulam percipiat mens ; tum ea ex quibus componitur ; Haec singillatim accepta sunt *partes* , illa *totum* . Videt porro tabulam esse majorem qualibet sui parte , atque hinc principium illud speculativum sibi cudit : *totum est qualibet sui parte majus* .

Denique ex ideis per sensus acquisitis Dei seu entis perfectissimi cognitionem reflexionis ope et ratiocinationis , ut mox dicebamus ; mens nostra sibi comparat ; cumque inde colligat , se a Deo existentiam suam , vires , omnia accepisse , concludit quoque , Deum , qui est summe beneficus summeque bonus , *esse super omnia diligendum* .

Hactenus non posse ex ideis rerum sensibilium aliarum quoque rerum ideas nobis ipsis producere , indicavimus . Ita vero reapse fieri , constare videtur , si modum atque ordinem , quo posteriores has ideas sibi comparant homines, attente perspexeris . Observa quid dicat puer , quid mente verset , quid cupiat . Nonne sensibilia ? Insensibilia , abstracta , universalia ipsum doce ; ne verba quidem attendet ; forte etiam irascetur . Sed insta , sensibiles imagines adhibe , utere domesticis obviisque exemplis , fac demum , ut circa res sensibiles reflectat ; ab iis abstrahat , alia ex aliis deducat ; proficit jam puer jam ideas abstractas , atque universales sibi cudit , tandemque seipso omnia haec praestabit . Hinc , teste experientia , plus ii proficiunt in rerum insensibilium ideis et cognitionibus , qui

---

præterea est , aliquam reddi a mente nostra reapse universalem , *uti liquido constat ; si modum , quo id genus ideam comparare nobis possumus , attente perspiciamus . Petrum concipe ; ejus* humanitas , *sive id , per quod est* homo , *in eodem non est nisi individuum plane et singulare . Si porro ab hac idea illa omnia per abstractionem detraxeris , quæ ejus individuationem constituunt* (ibid. §. 163. & Annot.), *restat tantum idea* humanitatis , *seu idea illa Petri nisi humanitatem non exprimit . Nihil igitur novi ideæ Petri , ut* universalis *redderetur , accessit , sed quin potius aliquid detractum ab eadem fuit ; atque hinc , uti antea , adhuc individua omnino est et singularis . Illud tantum mens praestitit ; ut nempe ideam illam ceteris aliis hominibus ob naturae similitudinem aptare jure ac pro lubitu possit .*

qui circa sensibilia objecta plus reflectunt, quam qui minus manifesto sane indicio, mentem nostram ex rerum sensibilium ideis reliquas sibi producere, atque idcirco in iis sibi cudendis a sensibus mediate pendere. *Q. E.* 2. *pars*.

Objectiones.

466. *Ob.* 1. *adversus primam secundae propositionis partem*. Minus difficile est, rem aliquam de novo creare, quam ipsam ex alia re, quae diversa sit, educere. Ita profecto minus difficile est creare Angelum, quam eum ex lapide producere: hoc enim postremum praeter Angeli creationem, postulat quoque ut lapis annihiletur. At ideae a materialibus impressionibus ad cerebrum delatis sunt plane diversae. Nec porro refert, quod ipsae modi sint, non substantia: quadratum siquidem substantia non est, sed modus; attamen ex spiritu produci non potest. Cum igitur ideae sint aliquid spirituale; ex substantia, vel qualitate, vel modo materiali educi sane non possunt. Ita fere Malebranchius (*a*).

2. Sensus sunt diversi in diversis hominibus. Si itaque a sensibus pendet mens nostra, rerum sensibilium ideae in hominibus diversis diversae essent, vel saltem sciri tuto non posset, quaenam idea sit eadem vel similis cum ea, quam alii homines de eadem re sibi producunt.

3. Probabile est, mentem nostram semper cogitare (§. 122.). Ergo ipsa antequam sensus functiones suas exerceant vel dum feriantur, aliunde prorsus quam a sensibus suas ideas sibi cudit. Ita fere Monteirus (*b*).

4. Nobilior substantia, uti est mens nostra, ignobiliori, uti sunt sensus, in hac hypothesi subjiceretur; quod sane dici haud posse videtur.

467. ℟. *ad* 1. Totum hoc Malebranchii argumentum eos dumtaxat premit, quibus visum est, ideas produci ab anima ex impressionibus, materialibusque imaginibus in cerebro impressis tanquam ex praexistente subiecto, quasi nempe laudatae imagines, sive sint *substantialia* Democriticorum *idola*, sive *species sensibiles* Peripateticorum, spirituales a mente nostra reddantur, indeque verae ac proprie dictae ideae eva-

(*a*) *De inquir. verit. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 3.

(*b*) *Met. part.* 2. *n.* 669.

evadant. Nos commentum hoc non modo non probamus, sed quinimmo refellimus invictissime (§. 462.). Dicimus tantum, impressiones in cerebro factas esse occasionem, quatenus ad illarum praesentiam excitatur mens nostra ac determinatur, ut vi sua de novo ideas sibi producat: eadem ferme ratione, qua voluntas ad praesentiam perceptionis alicujus objecti boni, non autem ex perceptione ipsa tanquam ex praeexistente subjecto, actus suos sibi cudit. Nihil igitur ad rem, quod spiritus educi nequeat ex corpore, neque corpus, aut ejus figura ex spiritu.

468. ℞. *ad* 2. Ad praesens institutum quod pertinet, res sensibiles in duplicem veluti classem dispertimur. Aliae, uti colores, soni, persimiles intendi possunt ac remitti; non item vero aliae, puta impenetrabilitas, vel etiam extensio si universum spectetur. Quoad posteriores nihil plane confert sensuum diversitas: sive enim magis sive minus perfectum sit organum tactus, semper tamen et costantissime omnes omnino homines aeque norunt, corpora esse impenetrabilia. Ad priores quod attinet, non negamus, organorum diversitatem locum habere quoad diversitatem nostrarum cognitionum posse; unde nonnisi judicia *relativa* ferri circa easdem debent (*Log. Annot. ad* §. 292.). Verum cum illa ipsa sensuum diversitas plerumque esse soleat accidentalis; fit inde, ut circa plures res corporeas sani homines inter se omnino consentiant. Ceterum hoc Scepticorum argumentum aeque premit vel ipsos Adversarios: in quavis enim hypothesi certum est, mentem nostram percipere res sensibiles plane consentanee ad motiones, quae in nostris sensibus fiunt (§. 317.), quaeque idcirco pro eorundem sensuum diversitate et mutatione diversae in diversis vel etiam in iisdem hominibus sint eportet.

469. ℞. *ad* 3. Anima non infunditur in corpus, nisi istud ad vitales suas obeundas functiones aptum fuerit et expeditum (§. 184.). Quare vel tum primum habet, quo ad percipiendum determinetur (§. 122.), multoque magis, quum foetus in lucem prodierit. Ad summum externi sensus quandoque feriantur; cum tamen vel motus interni, vel ideae per externa organa antea acquisitae esse possint aliarum idearum velut materies; profecto ex quo mens semper cogitet, non inde sequitur, ipsam ideas aliunde quam per sensus sibi producere.

℞. *ad*

470. R. *ad* 4. Sicut princeps a ministris, a servis dominus, pictor ab instrumentis, ita a sensibus pendet mens nostra. Illud non dedecet; cur porro istud?

471. *Ob.* 2. *adversus secundam ejusdem propositionis partem*. Sensus nisi colores sonos extensionem similia menti non repraesentant. Sed idea Dei, aliarumque rerum spiritualium et abstractarum nihil cum colore sono extensione similibus commune habet.

2. Sane inter res corporess et spirituales nulla est proportio, adeo ut plus analogiae sonos inter et colores, quam inter illas reperiatur; atqui tamen coloris idea ex idea soni fieri nequit: ergo neque idea Dei, aut similium fieri ex sensibilium rerum ideis potest.

3. Angeli plane independenter a sensibus res cognoscunt; cur non et mens nostra? Ita Monteirus (*a*).

4. Si idea universalis ex ideis rerum sensibilium fit; cur quaeso ex qualibet singulari rei sensibilis idea nequit mens ideam universalem sibi producere?

5. Lex aliqua naturalis, aliquod rationis lumen atque dictamen omnibus plane hominibus communia sunt, ac prorsus eadem. At hoc ipso non pendent a sensibus; nam sensuum ideæ in singulis hominibus sunt diversae. Tum numquidnam illa non haberet mens nostra, si sensibus alligata non esset? Ita idem Monteirus (*b*).

6. Sed ideæ sensuum sint eædem in omnibus; nulla tamen certitudo, quæ metaphysica sit, esse in nobis posset. Nam in lockiana hypothesi reliquae omnes cognitiones nostrae a rerum sensibilium ideis, istae vero a sensibus pendent: quælibet igitur nostra cognitio in sensus tandem refunderetur; ex iis fundamentum originem firmitatem desumeret; eatenus certum esset; *totum esse qualibet sui parte majus*, quatenus certum est existere *partes et totum*, haec autem existere nobis constaret ex sensibus. Atqui sensus nisi evidentiam physicam ac certitudinem parere in nobis non possunt. Ita idem Monteirius (*c*).

R. *ad*

(*a*) *Met. part.* 2. *n.* 670.

(*b*) *Ibid. n.* 661. *et seqq.*

(*c*) *Ibid. n.* 661. *et seqq.*

472. R. *ad* 1. Ex quo sensus non repraesentent menti nisi colores, sonos, verbo, res sensibiles, hoc unum evincitur, scilicet Dei, aliarumque abstractarum rerum et spiritualium ideas ab ipsis sensibus *immediate* seu *proxime* non pendere. At ne pendere quidem *mediate* seu *remote*, probandum adhuc superst Adversariis. Nobis certe videtur, contrarium dici non sine ulla ratione posse (§. 465.).

473. R. *ad* 2. Res corporeas inter et Deum nulla quidem proportio ratione *naturae* intercedit; tum minus *similitudinis* est, quam sonos inter et colores. Si tamen *relationem* spectemus, plane aliter sese res habet; ea enim tanta est, ut res corporeae, quae contingentes sunt, sine Deo, qui est prima earumdem caussa, neque esse possint neque concipi. Hinc facile quin et necessario ex ipsarum existentia existentiam Dei per ratiocinationem deducimus. Qualis porro relatio ac proportio, saltem ratione *cognitionis* alias res abstractas et spirituales inter corporeas sit, paullo ante observavimus (*ibid.*); talis nempe, ut ex rerum sensibilium ideis ideas quoque illarum rerum facile nobis comparemus. Quocirca nihil refert, si ex idea soni coloris idea fieri a mente nostra non possit.

474. R. *ad* 3. De mente humana, et quidem quatenus in hoc unionis statu est sui corporis sensibus alligata, hoc loci disputamus. Nihil igitur ad rem Angelorum cognitio, quae non pendet a sensibus: ipsis enim carent, atque eorum conditio ac status comparari cum nostro nec potest nec debet.

475. R. *ad* 4. Ea de caussa ex qualibet singulari idea nequit mens nostra universalem sibi producere, quod aliqua idea singularis, puta petri, quatenus individuum est, extendi ad res alias non possit. At plures sunt singulares ideae quae spoliari per abstractionem possunt iis omnibus, quae rem uti individuam repraesentant: qua quidem in hypothesi idea quae superesset, fieret universalis, hoc est, ipsam aliis similibus rebus aeque aptare non immerito posset mens nostra (§. 465. et *Annot.*).

476. R. *ad* 5. Aliquam legem naturalem, tum lumen aliquod rationis atque dictamen *in actu primo* spectata omnibus plane hominibus communia esse atque eadem, concedimus lubentissime; sin autem spectentur *in actu secundo*, saltem in hominibus ad usum rationis jam ventis, et quoad aliqua evidentiora principia illud idem fatemur (§. 388). Ergo, concludis, haec ipsa principia ab ideis per sensus acqui-

acquisitis, cum diversae sint in diversis hominibus, non procedunt. Sane nihil minus: imprimis enim quaedam ideæ et cognitiones per sensus haustae sunt eædem in omnibus et plane communes (§. 417.). Tum etiam concesso, quod diversae sint; ex ipsis tamen per reflexionem, meditationem, abstractionem, ratiocinationem plures veritates luculenter deducuntur, uti antea observavimus (§. 465.), et in sequente responsione manifeste ostendemus. An porro rationis exercitium mens nostra haberet, si sensibus alligata nunquam fuisset, nihil nostra, qui de uno praesentis unionis statu disputamus.

477. ℞. *ad* 6. Ut quantum a veritate alienum sit, nullam esse in nobis posse metaphysicam evidentiam ac certitudinem si quidem omnis nostra idea et cognitio vel immediate vel mediate penderet a sensibus, demonstremus invictissime; supponamus, quod sensus lapidem ita menti exibeant, ut haec non modo de illius existentia non sit physice certa, verum etiam vix ullam habeat vel habere possit de eadem probabilitatem. Nimium sane Adversariis nostris concedimus. Vide tamen, quot veritates, et quidem metaphysice certae atque evidentes inde nascantur. Nempe certa est mens nostra per sensum intimum, ideam lapidis se habere, se de lapide cogitare: certa de suimetipsius existentia; certa se simplicem esse, activam, penetrabilem; proindeque non materiam sed spiritum; certa se esse ens contingens, atque ideo ens necessarium seu Deum existere, qui se e nihilo eduxerit, conservet, moderetur. Consulatur Cartesius, qui in suis *Meditationibus* ex principio illo, ut vocat, *cogito, ergo sum*, quod in facta a nobis hypothesi sartum tectum servatur, ope ratiocinationis alias atque alias veritates omnino ac metaphysice certas jure optimo infert, quidquid demum sit de sensuum atque etiam de aliorum corporum reali existentia. Sed ad lapidem redeamus. Sive certa sit mens nostra sive dubia de existentia ejusdem lapidis; certa tamen est, se habere ideam *totius et partium*. Hinc porro si hanc ipsam sive veram sive chimaericam totius et partium ideam vel minimum expenderit, verissimum illud principium, *totum est qualibet sui parte majus*, sibi tandem cudet, uti paullo superius dicebamus (§. 465.). Videat ergo Cl. Monteirus quam futile sit hoc ejus argumentum, ac simul quam invicte adversus Scepticos cum physicae tum metaphysicae scientiae, evidentiae, cer-

certitudinis, ac veritatis existentia in hac quoque de idearum origine hypothesi defendi possit.

478. *Animad.* Hactenus ea, qua potuimus, perspicuitate implicitam hanc de idearum natura, origine, ac modo, quo in nobis et a nobis fiunt, disputationem absolvimus. Sed rursus monemus, omnes quidem ideas a sensibus pendere, nos tamen hoc loci minime definire, illas rerum sensibilium *immediate* pendere ab iisdem sensibus: hec siquidem constare nobis non potest, nisi prius constiterit veritas systematis *influxus physici*. At haec veritas hactenus comperta non est (§. 360.).

CAPUT II.

De memoria, memoratu, reminiscentia, et oblivione.

479. *Def.* 1. *Memoriam* dicimus illam mentis nostrae facultatem seu vim, qua rem alias perceptam, iterum percipit cum intimo sensu conscientia seu reflexione, se rem illam alias percepisse.

480. *Corol.* I. Tria potissimum complectitur memoria: 1. iteratam rei alicujus perceptionem: 2. reflexionem, qua constet, rem illam alias perceptam fuisse: 3. denique reflexionem, qua item constet, nos esse *illos ipsos*, qui antea rem illam cognovimus.

481. *Corol.* II. Cum non minus perceptio quam reflexio ad intellectum pertineant; manifestum videtur, memoriam, quae utramque complectitur (§. 480.), non esse facultatem ac vim ab eodem intellectu distinctam.

482. *Schol.* Duplici modo exerceri potest memoria, scilicet vel alterius perceptionis sive cognitionis ope, vel sine ipsa, uti inferius constabit. Hinc ejusdem actus, ut proprietas loquendi servetur, in *memoratum* distinguimus et in *reminiscentiam*.

483. *Def.* 2. *Memoratus* est illa mentis nostrae actio, qua sine alterius cujuscumque perceptionis ope rem aliquam iterum percipit, cum reflexione, se rem illam antea percepisse.

484. *Def.* 3. *Reminiscentia* est illa ejusdem mentis actio, qua ope alterius perceptionis rursus rem aliquam percipit cum reflexione, se rem illam alias cognovisse.

Corol.

485. *Corol.* In eo itaque memoratus a reminiscentia discriminatur, quod haec praeterea requirat alterius rei perceptionem; cujus ope iterum excitatur perceptio rei, quam se alias cognovisse conscia sibi est mens nostra (*).

486. *Schol.* Memoratus tribus modis haberi potest; totidemque reminiscentia. Memoratus quidem; 1. si objecta jam percepta iterum sensus nostros immutent; rursusque percipiantur: 2. si per solam internam spirituum animalium vel nervulorum vel etiam, si mavis, phantasiae agitationem cognoscantur denuo: 3 tandem si proprio voluntatis imperio objecta illa ad iteratam cognitionem mens revocet.

Reminiscentia vero; 1. si objecta externa sensus immutando perceptionem in mente excitent, cujus ope rem aliam antea perceptam rursus percipiat; velut si quis intuens S. Laurentii templum, ideam templi S. Petri, quod Romae est, in mentem revocaret: 2. si sola spirituum animalium vel nervulorum vel phantasiae agitatione excitetur aliqua perceptio,

---

(*) *Non omnes idem docent his super rebus Philosophi. P. Fortunatus a Brixia memoriam et reminiscentiam esse praeteritorum perceptionem scribit, sed tamen a postrema reflexionem, qua mens advertat, se praeterita illa antea cognovisse, plane excludit. At reminiscentia in hac hypothesi non esset nisi pura puta perceptio* (Log. §. 356.).

Antonius Genuensis (Elem. Met. part. 3. cap. 1. def. 7. *et* 8.) *putat; memoriam esse* facultatem *sive* habitum, *reminiscentiam vero hujus facultatis* actus *seu* exercitium, *cui adnexa esse debet saepius laudata reflexio sive sensus. Verum memoratum a reminiscentia non distinguit.*

Cl. Condillac (Assai sur l'origine des connoissances humaines part. 1. sect. 2. cap. 1. et seqq.), *ut ceteros mittamus*, imaginationem *esse ait*; *quae ipsas rerum antea cognitarum perceptiones excitat*. Memoriam, *quae excitat earumdem perceptionum signa, nempe sive circumstantias, quae rem alias perceptam comitabantur, quasque signa* accidentalia *jure adpellat*; *sive signa* naturalia, *ceu suspiria*; *sive demum signa* arbitraria, *quae nimirum ex libera hominum institutione res significant, uti vocabula, quae quidem signorum excitatio est perceptio*. Reminiscentiam *deni*que,

ptio. cujus subsidio alias quoque res jam cognitas iterum perciperemus; velut si hoc modo excitata idea Scipionis senioris, idea Annibalis, tum eorum, quae de tanto hoc viro antea novimus, excitaretur: 3. denique si mens, ut rem oblitam rursus cognoscat, voluntatis suae imperio rem aliam sibi repraesentet, ex cujus notitia in iteratam oblitae rei cognitionem veniret; ut si quis oblitus loci, ubi datum pretiosum lapidem vel picturam viderit, ad mentem revocaret personas, quibuscum versatus est, vel domos palatia templa, quae adiit, aliasque id genus circumstantias, unde tandem locum illum, cujus recordari vult, rursus perciperet. Supponimus autem, quod quovis ex his modis memoratus et reminiscentia a nobis fiat, praesto semper sit superius laudata reflexio seu conscientia, qua menti constet, se objecta illa, de quibus memoratum habet aut reminiscentiam, antea cognovisse. Perspicua haec sunt. Illud hoc loci monemus, quod cum memoratus et reminiscentia non sint nisi unius ejusdem-

---

que, quae menti velut indigitat ac consciam reddit, quod ipsa rem illam antea cognoverit. Quo circa reminiscentia nihil aliud est, quam haec ipsa conscientia sive sensus intimus. At imprimis a communi receptaque memoriae *notione sine ullo operae praetio recedit. Recedit, inquam; alii enim quique Philophi ad memoriam pertinere laudatam* conscientiam *sive* sensum intimum *vulgo docent. Sine ullo operae pretio: nam iteratam signorum perceptionem ideo vocat* memoriam, *quatenus est caussa excitationis alterius perceptionis, cui signa illa seu perceptiones adnectebantur, quod quidem alii perspicue explicant, quum dicunt, mentem ope alterius perceptionis rem alias perceptam rursum percipere, quia scilicet priscis vocabulis nova tribuatur significatio, quae communem atque usitatum illorum sensum perturbet. Sed, quod magis est, cum observemus, nos duplici modo ad mentem revocare, quae antea cognovimus, nempe ope alterius perceptionis et sine ipsa, tum in utroque casu adnexam esse posse laudatam conscientiam; si conscientia haec uno tantum vocabulo* reminiscentia *adpelletur, duplex ille modus, seu melius, operationes mentis, quae duplici modo diversoque in nobis fiunt, non distinguerentur. Ceterum unusquisque in sensu suo abundet.*

ejusdemque memoriae actus (§. 482.); nos subinde nonnisi memoriam nominabimus.

Memoriae divisio.

487. Memoria est *sensitiva*, si circa res, quae sub sensus cadunt, versetur; sin autem versetur circa res, quae non cadunt sub sensus, est ac dicitur *intellectualis*. Utraque porro vel *naturalis* est vel *acquisita* vel demum *artificiosa*. Naturalis est illa, quae sine ulla praecedente exercitatione atque artificio in nobis habetur: altera, quae exercitationis artificiique subsidio acquiritur: postrema tandem, quae per artificium quoddam comparatur, seu potius exercetur. Hinc memoria *artificiosa* est etiam *acquisita*, sed non contra. Quidam addunt memoriam *philosophicam* et *materialem*, quarum illa res spectat, haec autem vocabula. Porro memoria dicitur *bona*, si res cito retineat; si multas, *magna*; si distissime *tenax*; si valde perspicue, *vegeta*; si denique omnibus his modis, *felix*.

488. *Schol.* Non erit abs re, uberiora de memoria artificiosa subnectere, ut inde enucleatior clariorque haberi de eadem possit notitia. In eo itaque est posita, quod objecta nostrarum cognitionum certis quibusdam sensationibus vel imaginationibus data opera affiguntur. Hinc enim fit, ut quum hae sensationes vel imaginationes menti rursus occurrunt, excitentur quoque cognitiones illorum objectorum, quae laudatis sensationibus imaginationibusque affixa fuerunt. Rem illustremus exemplis. Sint haec objecta *sol*, *arbor*, *coelum*, atque his rebus affingantur, nempe *attramento*, *calamo*, *chartae bibulae*, ita ut sol affixus sit attramento, arbor calamo, et chartae bibulae coelum; fiet inde, ut si videas attramentum, solem etiam rursus concipias, atque ita porro. Haec de artificio per sensationes, quod vulgo adhibetur, puta dum ut recordemur alicujus rei, mucinium nodamus. Ad artificium per imaginationes quod spectat; sint haec objecta *ignis*, *luna*, *turris*, iisque affigantur rebus jam notis, quas per imaginationem facili negotio iterum et quum primum vult, mens possit sibi repraesentare, puta tribus cubiculi angulis, ita ut ignis affixus sit angulo A, luna angulo B, et angulo C turris. Si mente per imaginationem percurras hos angulos, res quoque illas rursus percipies, quas illis angulis affixeras, et quidem ita, ut si inverso ordine vel permutato laudatos angulos pro libito percurreres, etiam res eisdem affixas inver-

 so vel

vel permutato ordine in memoriam revocares. Qui in rebus mathematicis versati sunt, sicuti facilius plures ac plures geometricas figuras sibi effingere possunt, easque expeditius mente percurrere, ita quoque possunt artificiosam hanc memoriam mirum in modum perficere ac promovere. Haec ars, quam primum omnium invenisse Simonidem refert Cicero (a), quaque Ciceronem ipsum, Senecam, aliosque ex veteribus usos fuisse scribunt Eruditi, *Ars mnemonica* adpellatur.

Theoria memoriae.

489. Probatum est Peripateticis, Democriticis, Epicureis, Cartesio, Malebranchio, Gassendo, aliisque pluribus, dum sensibilia objecta percipiuntur, certa quaedam in cerebro imprimi, diuque etiam servari idola, species, vestigia, simulacra, phantasmata, quae quum iterum excitantur vel revisuntur, iterum objecta ab illis repraesentata mens percipit reflectitque, cognita jam antea a se fuisse. Quaenam porro sit horum vestigiorum natura, non omnino inter se conveniunt.

490. Peripateticorum sententia est, laudata simulacra nihil aliud esse, quam species sensibiles seu qualitates ad cerebrum appulsas (§. 460.), in eaque ejus parte sitas, in qua phantasiam atque imaginandi vim ipsi collocant.

491. Democriti et Epicuri idola ac simulacra, sunt illae ipsae exilissimae substantiales superficies ex corporibus abrasae, delataeque per sensus ad cerebrum, quarum supra meminimus (§. 442.).

492. Cartesius, cum animi sedem in conario statuisset (§. 283.), arbitratus est, vestigia in cerebro relicta esse poros canaliculos meatus, quos spiritus animales per conarium ipsum excurrentes, ut impressiones ab objectis externis acceptas ad mentem deferant, et aperiunt et vel apertos relinquunt, vel saltem ita eosdem afficiunt, ut ipsi eodem modo spiritibus, qui subinde ad idem conarium deferri debent, facilius rursus aperiantur (b). Hinc juxta Cartesium memoria, quantum ad cerebrum attinet, sita est in majori illa facilitate se se rursus eodem modo aperiendi spiritibus animalibus, quam pori, canaliculi, meatus cerebri sibi comparant.

(a) *Lib.* 2. *de Oratore cap.* 86.
(b) *de passionibus animae part.* 1. *art.* 2.

parant, et ob quam fit, ut mens advertat, objecta jam cognita se antea cognovisse. Cartesio assentitur P. Maignanius (a).

493. Observat Malebranchius (b), spiritus animales in fibras cerebri agere, easque velut inflectere. Ob hanc inflexionem fit, ut postea facilius rursus inflectantur. Utitur exemplo ramorum arboris, qui si aliquandiu plicati manserint, postmodum plicari eodem modo facilius possunt. Itaque Malebranchius in laudata fibrillarum cerebri acquisita facilitate memoriam sitam esse opinatur. Quantum vero attinet ad mentem, memoriam alibi explicat, quatenus Deus majori facilitate eidem menti conspiciendas exhibet illarum rerum ideas quas antea mens ipsa cognoverit.

494. *Memoria*, inquit Gassendus (c), *videtur concipi non male quasi charta munda plicarum innumerabilium, inconfusarumque, et juxta suos ordines, suasque series repetendarum capax. Scilicet ubi unam seriem subtilissimarum induxerimus, superinducere licet alias, quae primam quidem refringant transversum, et in omnem obliquitatem; sed ita tamen, ut dum novae plicae, plicarumque series superinducuntur, priores omnes non modo remaneant, verum etiam possint facili negotio excitari, redire, apparere; quatenus una plica arrepta, ceterae, quae in eadem serie sunt, quadam quasi sponte sequuntur. Rem perspicuam faciunt Agyrtae, dum simplici papyri folio mille rerum exhibent formas, prout momento plicarum series, quas praeinduxerant, commutant.* Vestigia itaque nihil aliud juxta Gassendum sunt, quam plicae, quae in tenellulis cerebri fibris mollibusque per objectorum praesertim externorum impressiones factae, postea facile rursus excitantur. Gassendo consentit Lemonier, additque, plicas in ea cerebri membrana fieri, quam Anatomici *piam matrem* appellant. Haec quoad memoriam, quantum ad corpus pertinet; quantum vero ad mentem, postremus hic Auctor cum Occasionalistis putat, ipsam esse modificationem, quam in eadem mente Deus producit.

Lu-

(a) *Phil. nat. cap.* 24. *n.* 34.
(b) *De inquir. verit. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 5.
(c) *Tom.* 2. *sect.* 3. *membro* 2. *lib.* 8. *c.* 3., *et lib.* 19. *c.* 4.

495. Ludovicus Antonius Muratorius opinatur (*a*), vestigia in cerebro relicta esse quasdam imagines in eodem veluti in cera impressas insculptasque, ad quas dum se se convertit mens, easque revisit, rerum antea perceptarum, quarum imagines sunt, recordatur.

496. Quidam negant, memoriam a vestigiis in cerebro impressis ibique servatis pendere. Atque imprimis visum est nonnullis, ipsam oriri ab impedimentorum remotione; putant nempe, mentem posse ex se et independenter a corpore objecta jam cognita rursus percipere, simulque reflectere, objecta illa se antea percepisse; potentiam tamen hanc in actum non exire, nisi impedimenta, quae illius exercitio obsistunt, a cerebro removeantur.

497. Wolfius hisce vocabulis *idea materialis et phantasma*, quibus persaepe utitur, nihil aliud, quam cerebri motus intelligit (*b*). Hinc memoria, quantum ad corpus attinet, est motuum cerebri prioribus motibus plane similium reproductio; quantum vero ad animam, *sensitiva* consistit in *apperceptione* (*c*), seu in reflexione, quod eadem objecta jam fuerint cognita, *intellectualis* autem in quodam judicio (*d*), quo decernit mens, datam ideam seu cognitionem antea se habuisse. Alii etiam sunt, qui dum negant, vestigia ulla in cerebro remanere, memoriam quoad animam pendere asserunt ab ejusdem animae *facilitate* reproducendi motus in cerebro, qui respondeant et ideis in mente existentibus, et motibus, qui ipsarum idearum caussa primum fuerunt.

498. Hactenus quid senserint hac super re Philosophi. Nunc rem ipsam adeamus, ac perscrutemur. Memoriam, ut actus suos exerat, pendere a sensibus, potissimum vero a cerebro, plura phenomena luculenter ostendunt. Nam constat 1. ipsam non raro laedi a caussis materialibus, aere, cibis, morbis, quemadmodum praestitit pestis a Thucydide descripta, quae ita ademit memoriam, ut homines proprii etiam nominis obliviscerentur. Refert Lokius (*e*) quemdam nomi-

(*a*) *Lib. de viribus phantasiae.*
(*b*) *Psycol. rat.* §. 112.
(*c*) *Ibid.* §. 280.
(*d*) *Ibid.* §. 281.
(*e*) *Lib.* 2. *de intellectu humano cap.* 10. §. 9.

nomine Paschalem tantae memoriae fuisse tamque tenacis , ut recordaretur omnium , quae ab usu rationis fecerat legerat cogitaverat ; postea vero ob labefactatam corporis valetudinem memoriam illam perdidisse . Constat 2. memoriam iisdem materialibus caussis , uti *coriandro* , confectione *anacardina* (si quidem verum est quod olim hac super re vulgatum fuit) , aliisque medicamentis conservari vel etiam perfici posse . Constat 3 , memoriam , ceteris paribus , ad unguem respondere cerebri constitutioni ac temperamento . Hinc major in pueritia et juventute , quam in senectute esse solet , adeo ut vir doctissimus Thomassinus , qui isignia Opera in lucem ediderat , senio tandem confectus , quamvis non plus vixerit quam annos 76 , etiam se aliquid lucubrasse , non recordaretur . Mittimus cetera in re perspicua .

499. Neque minus probabile est , quidpiam in cerebri substantia post sensationes remanere . Siquidem spiritus animales, seu quidquid sit sensationum instrumentum , agunt in cerebrum , atque in eodem effectum aliquem sive immutationem producunt . Quid porro vetat , quominus effectus hic et modificatio sive modificationis vestigium in eodem perseveret ? Memoria profecto , etiam quoad corpus spectata , maxime si excolatur , est habitus ; unde earum rerum , quas saepius novimus , facilius recordamur . Habitus vero secum fert aliquid, quod prius non erat , scilicet est aliquid non naturae ingenitum , sed eidem per repetitos actus superadditum . Accedit, quod per solam imaginationem rem alias perceptam quandoque rursus percipimus . Si itaque quum primum eam per sensus cognovimus , aliqua in cerebro facta fuerat impressio ; haec ipsa impressio seu impressionis vestigium remansisse dicendum videtur , ut inde per unam imaginationem res eadem iterum perciperetur . Sed quid demum sunt haec vestigia ? Num superficies Democriti , aut Peripateticorum species ? non equidem . An saltem aliorum Philosophorum canaliculi , plicae , imagines ? Deus sciverit . Hinc plane difficilis explicatu est tum sensitiva cum intellectualis memoria . Rem tentemus .

Explicatur memoria sensitiva .

500. Duo potissimum explicanda sunt , nempe iterata ejusdem rei perceptio , et reflexio mentis , qua ipsi constat , se rem illam antea percepisse . Perceptio iterata ex eo procedit, quod sicut prima vice , positis quibusdam in corpore atque in cerebro motibus impressionibusque , mens percipit (§. 317.) ;

517.) ; ita eandem perceptionem repetere debet, si iidem motus et impressiones repetantur, vel relicta in cerebro vestigia rursus excitentur.

501. Ad reflexionem quod pertinet, res maxime implicita est atque explicatu difficilis. Vestigia siquidem rursum excitata nequeunt nisi seipsa menti exhibere. Eadem praeterea sunt, vel saltem eodem modo excitari supponuntur, ut rem eamdem menti repraesentent: quid enim plus habent quum excitantur tertia vice quam quum secunda? nos tamen advertimus, nos ipsos antea recordatos illius ejusdem rei fuisse. Majori, inquis, facilitate vestigia illa postea quam primum excitantur. Ita sit. Verum quomodo mens nostra id novit? quid ipsam de laudata majori facilitate admonet? Mens non percipit, nisi quatenus vestigia excitata sunt, quidquid de modo sit aut de facilitate, qua excitantur. Profecto sicuti ex quo vestigia aliqua facilius quam alia in cerebro prima vice imprimuntur, non sequitur propterea, nos recordari earum rerum, quarum imagines sunt; ita ex quo secunda vice vel tertia excitentur facilius, sequi non videtur, nasci propterea in nobis debere laudatam reflexionem. Putant alii, mentem ex eo reflexionem hanc sibi elicere, quod vestigia illa nova non esse sed vetera dignoscat. Sed quibus tandem mediis id novit mens nostra, et qua de caussa? Alii docent reflexionem illam derivari ex eo debere, quod res olim percepta, deinde perspicue magis magisque distincte repercipiatur. At imprimis res quasdam ita evidenter distincteque interdum etiam prima vice cognoscimus, ut nihil magis quamvis millies ad mentem subinde revocentur. Itaque in hac hypothesi nulla unquam in nobis esset de iis rebus recordatio; quod quantum falsum sit, nemo unus ignorat. Tum fieri potest, ac fit plerumque, ut res prima vice clarius quam secunda cognoscamus, simulque recordemur, nos res illas antea percepisse. Eo adiguntur alii, ut asserant, mentem tot ideas unius etiam ejusdemque rei in seipsa producere ac retinere, quot vicibus rem illam percipit. Quum itaque illam rem iterum percipit mens, velut observat rei ejusdem ideam vel ideas in se praeexistentes, indeque colligit, se rem illam jam cognovisse, immo etiam de eadem re se antea fuisse recordatam. At haec hypothesis supponit, ideas esse a perceptionibus realiter distinctas. Si cui non displiceret modus, quo superius rem hanc explicavimus (§. 454. et Annot.) ;

hanc

hanc hypothesim fortasse satis probabilem arbitraretur, quin ea, quae mox subjiciemus, excludantur. Ne tamen uni vel alteri addicti simus hac super re systemati, sed in quolibet explicari aliqua saltem ratione possit laudata reflexio: aliam inimus viam, quae planior ceteris communiorque videtur.

502. Dicimus itaque, laudatam reflexionem in mente ex circumstantiarum, puta loci temporis personae vestitus similium, in quibus rem eamdem cognovimus, diversitate oriri. Quod ut perspicuum magis fiat, observandum est, rerum ideas ita connecti simul et consociari, ut si una excitetur, alias quoque, quae in eadem serie sunt, excitari persaepe experiamur, quemadmodum in somniis fit, vel etiam in vigilia dum aliquam vel legimus vel audimus alicujus eventus antea cogniti partem; hinc enim sponte velut sua partes reliquae menti statim occurrunt, ac repraesentantur. Fingamus itaque, me aliquem hominem primum vidisse in certis quibusdam circumstantiis, iterumque nunc in circumstantiis aliis ipsum videre. Duplex idearum seu cognitionum series in mente orietur. Quare si dum hominem illum rursus video, series prior per imaginationem excitetur in animo, adverto, et advertendo conscius reddor, illum hominem antea visam a me fuisse. Hujus nostrae opinionis probabilitas ex iis, quae subjicimus, non obscure constare videtur. 1. Si circumstantiarum, seu adjunctorum ideae vel rursus non excitantur, vel circumstantiae ipsae sunt eaedem, vel demum quae diversae sunt, in mentem non veniunt; profecto neque reflectimus neque reflectere possumus, nos objectum antea cognitum reapse alias cognovisse. 2. Quum volumus alicujus rei, cujus recordari nequimus, ad mentem revocare, eas circumstantias inquirimus perpendimusque, quae tum fuerunt, quum rem illam antea noveramus (486). 3. Si per aliquod tempus, velut per hebdomadam in iisdem similibusque circumstantiis versamur, tempus illud nobis subinde apparet brevius, quam si in diversis circumstantiis fuissemus; quod quidem ex eo provenit, quod deficiente circumstantiarum diversitate, res eo tempore peractae nobis non apparent toties repetitae, quoties repetitae reapse fuerunt.

Explicatur memoria intellectualis.

503. Hanc quoque memoriam et pendere a sensibus, et alligatam esse imaginationi ex eo constat, quod si sensus ipsi praesertim vero cerebrum laedantur, minuitur aut etiam perit

rit haec ipsa memoria (§. 498.) . Tum non minus probabile est, mentem in sibi cudendis rerum insensibilium ideis et a sensibus et ab ideis rerum sensibilium pendere (§. 464.). Hinc porro evenire posse videtur, ut mens dum iterum cognoscit ideam illius rei sensibilis ex qua insensibilis rei ideam sibi effecerat, rursus cognoscat rem hanc insensibilem, et ob superius laudatam circumstantiarum diversitatem (§.502.) reflectat, se rem illam antea cognovisse. Explicari etiam poterit haec memoria, si semel acquisita rei insensibilis idea supponatur in anima perseverare (§. 454.): dum enim idea illa, quacumque tandem de caussa excitatur vel eam ex se revisit mens, res eadem iterum percipietur, mensque sive novam ideam cum veteri comparando, sive potius observando circumstantiarum, quae utramque de eadem re ideam comitantur, diversitatem, advertere poterit, reddique conscia, rem illam olim fuisse a se cognitam.

Explicantur praecipua memoriae phoenomena.

504. 1. Memoria exercitatione comparatur, augetur, perficitur. Nam per repetitos actus, quibus cerebri vestigia excitantur, haec ipsa subinde rursus excitari facilius possunt. Hinc memoria, quatenus exculta est, inter *habitus* jure optimo recensetur.

2. Facilius tenaciusque ea memoria tenemus, quae sensatione, quam quae sola imaginatione cognoscimus. Sicuti enim sensatio, ceteris paribus, est imaginatione vividior (§.371. n. 1.); ita etiam impressio, quae dum sentimus, in cerebro fit, est validior profundiorque, quam quae fit, dum solum imaginamur.

3. Quae majori attentione, admiratione, voluptate aut dolore cognoscimus, diutius tenaciusque adhaerescunt memoriae. In hac enim hypothesi validior est vestigiorum in cerebro impressio; tum adjuncta sive circumstantiae clarius distinctiusque noscuntur. Profecto ob leges commercii sicuti sensio respondet impressioni vestigiorum in cerebro peractae, ita motus ejusdem cerebri respondet attentioni, ita ut pro attentione vividiori diuturniorique laudatus cerebri motus, indeque vestigiorum impressio sit diuturnior, distinctior, profundior, tenacior. Idem dicendum de admiratione, dolore aut voluptate, tum de impressis circumstantiarum sive adjunctorum in cerebro vestigiis.

4. Me-

4. Memoria debilitatur desuetudine, vel etiam penitus evanescit. Quandoquidem vestigia veterascunt, aut delentur, vel saltem non excitantur tam facile; tum vestigia circumstantiarum interrumpuntur debilitantur aut etiam pereunt.

5. Memoria, quae pluribus intenta sit, esse solet minor ad singula. Vestigia enim vel confunduntur, vel non excitantur tam saepe, vel demum cum mens sit magis distracta, etiam minus vivide distincteque sive res ipsas sive earum circumstantias sibi repraesentat, atque ideo sicuti impressio in cerebro facta minor est minusque profunda, ita quoque impressum vestigium non adeo facile subinde excitatur.

6. Memoria esse solet melior in juvenibus, ceteris paribus, quam in pueris atque in senibus. In pueris siquidem minor est attentio. Tum cum fibrae cerebri aequo nimium molles sint, neque diu neque tam facile retinere in se possunt impressa vestigia; in senibus autem cum sint nimium rigidae, plurimum vestigiorum impressioni obsistunt.

7. Citius eorum memoria deletur, quae citius commissa eidem fuerint. Nam fibrae minus tenaciter firmiterque retinent ea vestigia, quae magis facile in ipsis imprimuntur; vel etiam in facta hyphotesi minor esse solet mentis attentio.

8. Memoria aere, cibis, medicamentis, aliisque id genus caussis sicut conservari augeri perficique potest, ita quoque debilitari retundi atque etiam prorsus deleri. Nam caussae illae cerebri fibras reddere possunt ad recipienda in se vestigia tenaciusque retinenda aptiores, vel contra aut omnino ineptas ad id operis, aut certe minus aptas; tum jam recepta in iisdem fibris vestigia implicare dissociare penitusque destruere.

9. Orationem longissimam mente, licet alio distracta, ad verbum interdum repetimus. Siquidem excitato uno vel altero cerebri vestigio, cetera quoque eodem ordine ac serie, qua fuere impressa, ita mechanice excitantur, ut cerebrum, quadam velut sponte motiones suas et functiones exerceat (§. 368.). Hinc mirus ille idearum nexus, qui tot operationum mentis nostrae fons est et origo.

10. Non raro interrumpitur memoria vel retardatur. Quandoque enim in eadem cerebri parte vel fibra aliud vestigium sive eodem aut fere eodem modo, sive alia ratione ac caussa ita imprimitur, ut vestigiorum seriem, quae evolvitur, interrumpat; tum etiam fibrae durities, humor nimius, hisque

que similia ulteriorem aliorum vestigiorum , quae sequuntur in data serie , excitationem aut omnino impediunt , aut saltem minus facilem reddunt .

11. Unius ejusdemque compositae rei , vel historiae quandoque recordamur ex parte , et ex parte obliviscimur . Neque enim fibrae cerebri eaedem ubique eodemque modo affectae semper sunt ; tum laedi aliqua in parte possunt , mutari , corrumpi . Quocirca etiam vestigia non eadem ratione ubique sunt impressa et conservantur , sed vitiari ex parte possunt , confundi deleri , dum reliquae eorumdem partes firmae sanae atque integrae adhuc perseverant .

12. Ii , quorum cerebrum vel humidum nimis vel nimis siccum est , non magna pollent memoria . Siquidem ob priorem cerebri temperationem facile delentur vestigia , ob posteriorem autem non tam facile imprimuntur .

13. Ii , quorum cerebrum est temperate humidum , feliciori memoria donantur . Nam facili negotio in eodem imprimuntur vestigia , ac simul non delentur tam facile . Ingenium acutum , vivax , promptum siccitatem substantiae cerebri postulare videtur : nam spiritus animales , nervi , sive sensationum instrumenta ac mentis ministri expeditiores esse debent ac vividiores . Hanc ob caussam summum ingenium summamque memoriam in uno eodemque homine simul conciliare vix poteris .

Haec sunt praecipua memoriae phaenomena , quae explicanda erant . Cetera ex his sponte velut sua nascuntur . Advertendum nihilominus est , fieri posse , ut aliquam ob caussam nobis incompertam , vel non communi inductam ordine quaedam ex laudatis phenomenis alia prorsus ratione contingant . Quis enim penitiorem noverit cerebri structuram , quae ad memoriam pertinet ; tum modos omnes , quibus affici potest , omnesque eas caussas , quae hac in re locum habent ?

505. *Def.* 4. *Oblivio* est alicujus rei , quam antea novimus non recordatio .

506. *Schol.* Triplici modo induci potest oblivio : 1. si vestigia in cerebro antea impressa deleantur : 2. si existant quidem , sed tamen rursus non excitentur : 3. demum si vestigia et existant et excitentur et percipiantur , nihilominus mens non reflectat , res per vestigia illa repraesentatas se antea cognovisse , idque vel quia novam ejusdem rei ideam cum dea veteri jam praeexistente non comparat (§. 503.) vel potius

tius quia memoratam circumstantiarum diversitatem non advertit (§. 502.). Perspicua haec sunt, si hucusque dicta attente perpendantur. Porro oblivio morbo inducta dicitur *oblivio* morbosa sive *amnesia*.

CAPUT III.

De voluntate, denique aliis nonnullis humanae Mentis affectionibus.

ARTICULUS I.

De voluntate Mentis humanae, ubi de ejusdem objecto, et libertate.

507. *Def. Voluntatis* nomine eam animi nostri facultatem universim vocamus, qua bonum sibi repraesentatum appetere et velle potest, et sibi repraesentatum malum aversari et nolle.

508. *Schol.* 1. Apud puriores Latinos, quos Wolfius aliique recentiores sequuti sunt, *voluntatis* nomen non facultatem seu potentiam, sed hujus actus significat, qui omnes ad *appetitionem* vel *aversationem*, et ad *volitionem* vel *nolitionem* tamquam ad duplex genus rediguntur: ad duplex, inquam, genus: nisi enim accurate distinguantur, ut distingui debent, maxima inde orietur confusio; neque ea, quae ad libertatem pertinent, exponi distincte possent et explicari. Itaque si nos ipsos consulamus, advertemus profecto, ex objecti boni perceptione certum quemdam ad objectum illud nisum seu inclinationem propensionemque in nobis necessario nasci: quemdam vero renisum seu declinationem ex perceptione objecti mali. Necessariam hanc inclinationem *appetitionem*, declinationem autem *aversationem* adpellamus. Hinc tota ratio sufficiens appetitionis est boni repraesentatio, aversationis vero repraesentatio mali (*Ontol.* §. 227.). Sed illud quoque advertemus, nempe nos objectum bonum, quod appetimus, velle ex electione, aut objectum malum, quod aversamur ex electione nolle. Primum illud *volitionem* dicimus; hoc vero alterum *nolitionem*. Tum nolitio proprie accepta confundi cum *non volitione* non debet: illa enim est actus voluntatis, quo objectum aliquod positive respuit, puta odio habet; haec autem

est

est mera volitionis suspensio (*ibid.* §. 231.). Hinc aliud est *nolle*, et aliud *non velle*, si servanda sit loquendi proprietas.

509. *Schol.* 2. Sicuti in intellectu (§. 363.), ita etiam in voluntate duplicem partem, *superiorem* nempe et *inferiorem* distinguunt Philosophi; non quod aut duae sint in eodem homine animae, *rationalis et sensitiva*, aut duae unius ejusdemque animae distinctae potentiae, bene vero quatenus una eademque rationalis animi facultas a diversis motivis ad operationes suas allicitur; nimirum si velit aut nolit juxta aeternas Dei leges rectamque rationem, *pars superior*; sin autem contra has leges rectaeque rationis dictamen, atque una temporalia bona quatenus utilia tantum sunt ac delectabilia, amore prosequatur, aut mala sensibilia sub una mali temporalis ratione odio habeat, *pars inferior* adpellari consuevit. Hinc colluctatio illa carnis adversus spiritum et spiritus adversus carnem, tum lex membrorum, quae mentis legi repugnat, de quibus Apostolus *(a)*. Porro duo potissimum inquiri de humana voluntate a Philosophis solent; 1. quodnam sit ejusdem objectum? 2. an vera proprieque dicta indifferentiae libertate fruatur?

QUÆSTIO XVII.

Utrum mens humana possit velle aut appetere malum sub ratione mali, et bonum sub ratione boni nolle vel aversari?

510. *Def. Bonum*, quantum ad voluntatem pertinet, est illud omne, quod naturae humanae consentaneum est, eamque perficit, uti scientia (*); quod autem eidem naturae consentaneum non est, ejusque perfectionem aut impedit aut tollit, ut morbi, *malum* est ac vocatur.

511. *Schol.* Utrumque est vel *verum* seu *reale*, vel *apparens ideale* seu *objectivum*. Hoc alterum, si tantum nobis videatur bonum aut malum, quamvis re ipsa non fuerit; primum

(a) *Ad Galat. cap.* 5. *v.* 17.; *ad Rom. cap.* 7. *v.* 23.

(*) Quidquamne est bonum, *inquit Tullius* (Parad. 1.) quod non eum, qui possidet, meliorem faciat?

num autem illud, si revera bonum sit aut malum. Bonum praeterea vel est *honestum* seu *morale*, nempe si rectae rationi morumque regulis sit consentaneum, ut virtus: vel *jucundum* sive *delectabile*, si aliquam voluptatem procreet, uti delicatus cibus; vel demum *utile*, si commodum aliquod illud possidenti conferat, ut divitiae. Postrema haec bona *physica* adpellantur. Ceteras boni ac bonitatis species, quas alibi exposuimus (*Ontol*: §. 107. *et seqq.*), omnino praeterimus. Malum, quod bono opponitur, triplex et ipsum est; *inhonestum* seu *turpe* vel etiam *morale*, si rectae rationi se morum regulis adversetur, ut vitium; *molestum*, si dolorem aut taedium afferat, ut febris; *incommodum*, si bonum utile aut impediat aut tollat, ut divitiarum amissio. Utrumque hoc malum dicitur *physicum*. Unum idemque objectum, si sub diversis rationibus spectetur, esse potest bonum simul et malum, tum una bonitatis vel malitiae specie affici non autem altera.

Sensus quaestionis.

512. Duo hoc loci investigamus: 1. num humana voluntas velle possit atque appetere malum, quodcumque illud sit, sub una mali ratione, hoc est, praecise quia malum est? 2. num possit nolle atque aversari bonum sub ratione boni, scilicet ea praecise de caussa, quod bonum sit?

Philosophorum sententiae.

513. Humanam voluntatem utrumque posse, opinati sunt Kingius, et Hoockius, quibus praeluserunt Occamus, Angestus, Almainus, aliique, praesertim vero Nominales, ut refert Poncius (*a*). Johannes Duns Scotus quamvis alicubi suorum Operum anceps visus fuerit (*b*), cum in utramqae partem quin rem definiret, disputaverit; alibi tamen (*c*) contrarium aperte docet, scribens: *a voluntate excluditur actus volitionis respectu miseriae, et actus nolitionis respectu beatitudinis, quia miseria non est nata esse objectum actus volitionis, nec beatitudo actus nolitionis*. Hoc idem sentiunt S. Thomas (*d*), aliique ceteri sive veteres sive recentiores Philosophi.

(*a*) *De anima disput.* 7. *q.* 1.
(*b*) *In* 2. *dist.* 6. *q.* 2.
(*c*) *In* 4. *dist.* 49. *q.* 10. *n.* 8.
(*d*) 1, 2, *q.* 8. *art.* 2.

PROPOSITIO.

Mens humana non potest velle et appetere malum sub ratione mali, neque bonum sub ratione boni nolle et aversari.

514. *Pr.* 1. *pars.* Mens suapte natura, velutque innato pondere ita ad beatitudinem felicitatemque, scilicet ad statum perfectae voluptatis, quietis, omnisque perturbationis taedii doloris molestiaeque expertem fertur, ut *esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus* (*a*): unde Tullius: *natura*, inquit (*b*), *omnes, quae bona videntur, sequuntur*. Hujus rei totum humanum genus, quin et ipsos Adversarios ego testes appello. Sane nihil appetimus nihil volumus nihil desideramus, nisi sub beatitudinis ratione, hoc est, nisi ut simus beati. At velle et appetere malum sub ratione mali, non est profecto sub ratione beatitudinis appetere ac velle, cum malum sub ratione mali spectatum velut naturae nostrae, perfectioni, felicitatique contrarium nobis exhibeatur (§. 510.). Igitur mens humana non potest velle et appetere malum sub ratione mali. *Q. E.* 1. *pars.*

515. *Pr.* 2. *pars.* Volitio et nolitio, appetitio et aversatio sibi invicem opponuntur, uti perspicuum per se est (§. 508.). Ergo etiam motiva seu rationes, quibus humana voluntas ad actiones illas excitatur, opponi sibi invicem debent; atque ideo si mens nostra nequit velle et appetere malum sub ratione mali (§. 514.), ne poterit quidem bonum sub ratione boni nolle et aversari. Et sane nolle et aversari bonum sub ratione boni, est nolle et aversari id quod humanam perficit naturam, seu est beatitudinem felicitatemque respuere et odio habere; at respuere et odio habere beatitudinem propriam ac felicitatem, est velle propriam miseriam, seu malum sub ratione mali; quod cum esse non possit (*ibid.*) manifestum est, quod mens humana nequit bonum sub ratione boni nolle et aversari. *Q. E.* 2. *pars.*

Corol.

(*a*) *S. Augustinus Enchirid. n.* 28. *alias cap.* 105.
(*b*) *Lib.* 4. *qq. tuscul cap.* 6.

516. *Corol.* I. Humana voluntas non potest aliquid velle et appetere nisi sub boni sive realis sive apparentis ratione, nihilque nisi sub ratione mali sive realis sive apparentis nolle et aversari.

517. *Corol.* II. Objectum volitionis nostrae et appetitionis esse non potest nisi bonum; nolitionis autem et aversationis nisi malum.

518. *Corol.* III. Bonum et malum sunt nostrae voluntatis motiva, quibus ipsa ad volitionem et appetitionem, ad nolitionem et aversationem allicitur et excitatur.

519. *Corol.* IV. Humana voluntas nunquam vult et appetit, nult et aversatur sine motivis. Haec enim non praestat sine objecto, quod velit et appetat, nolit et aversetur. At objectum voluntatis est bonum et malum (§. 517.), quae sunt ejusdem voluntatis motiva (§. 518.). (*)

Adversariorum cavillationes.

520. *Ob* 1. *contra primam propositionis partem*. Si voluntas humana non posset velle malum sub ratione mali, non esset quoad malum, quatenus malum est, libera; atqui libera est quoad malum quatenus malum est: ergo &c.

521. R). *D. maj.*, si &c., non esset quoad malum, quatenus malum est, libera libertate *contradictionis*, *N.*, libertate *contrarietatis*, *C. maj.*; et contra *D. min.*, *N.*, *Cons.* Libertas *contradictionis*, quantum ad praesens institutum pertinet, ea est, qua agens eadem praeditum potest velle et volitionem suspendere; *contrarietatis* vero ea, qua agens liberum posset velle et nolle, seu duos contrarios actus, puta amoris et odii circa idem objectum exercere. Itaque voluntas humana habet quidem quoad finitum malum sub ratione mali spectatum libertatem *contradictionis*, hoc est, potest nolle et nolitionem suspendere, uti subinde ostendemus, non autem libertatem *contrarietatis*, quasi nempe sicut potest malum nolle seu odio habere, ita etiam possit illud ipsum velle seu amare (§. 514.). Ceterum cum malum finitum habere in se possit aliquam boni saltem apparentis rationem, sub eaque amari; liquet, humanam voluntatem habere etiam quoad ipsum libertatem *contrarietatis*. De his luculentius paullo inferius.

(*) *Consulantur quae diximus in Ontologia* (§. 189. 224. *et seqq.*)

522. Hinc facile intelligitur quod scribit Ecclesiasticus (a): *ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi*: nempe non quasi malum sub ratione mali placere homini possit, bene vero quatenus homo ipse bonum physicum contra Dei legem directe prosequens, malum turpe seu morale, atque hinc etiam poenam seu mortem sibi indirecte consciscit. Quare objectum, quod homini placet, seu ipsum allicit, est bonum sub ratione boni.

523. *Inst.* Homo proximi malo interdum delectatur; sed delectari malo est velle malum sub ratione mali: ergo humana voluntas est quoad malum, quatenus malum est, libera etiam libertate contrarietatis.

524. ℟. *D. maj.*, homo proximi malo sub ratione mali sui interdum delectatur, *N.*, sub ratione boni sui, *C. maj.*: et *D. min.*, delectari malo sub ratione mali sui est velle malum sub ratione mali, *C.*, delectari malo sub ratione boni sui est velle malum sub ratione mali, *N. min.* et *Cons.* Si intimus uniuscujusque sensus consulatur, nemo negabit, homines non malo proximi sub ratione mali sui sed quin potius sub boni sui ratione delectari, quatenus per malum proximi aliquid vel utile vel jucundum sibi adfuturum perverse judicant.

525. *Inst.* Damnatus sui annihilationem cupit: ergo malo sub ratione mali sui delectatur. 2. Qui peccat ex malitia in eo ab illo, qui ex ignorantia peccat, distinguitur, quod ille malum cognitum ut malum, hic autem malum cognitum ut bonum velit. 3. S. Augustinus furtum ut furtum, proindeque malum ut malum amavit: *quem fructum*, inquit (b), *habui miser aliquando in his, quae nunc recolens erubesco; maxime in illo furto, in quo ipsum furtum amavi*. 4. Intellectus ferri in falsum ut falsum potest; cur non in malum ut malum voluntas?

526. ℟. *ad* 1. Ea de caussa sui annihilationem exoptat damnatus, ut ab aeternis suppliciis, quibus mancipatus est, si fieri posset, liberetur. At vero a malis exemptio uti bonum spectatur. Igitur sub boni sui ratione annihilationem sibi exoptat.

527. *ad* 2. Unum idemque objectum et ut malum morale et simul ut bonum physicum cognosci a nobis potest. Exemplo sit

(a) *Cap.* 15. *v.* 18.
(b) *Lib.* 2. *Confess. cap.* 8.

plo sit injusta rei alienae ablatio. Si eamdem homo cognosceret tamquam aeternis Dei legibus contrariam, proindeque ceu malum morale; sed tamen ipsam eligeret velut medium, quo vel a miseriis tandem liberetur, vel sibi comparet majorem divitiarum copiam, quae quidem essent aliqua physici boni species, certe peccaret ex malitia; at simul facinus illud nisi sub ratione boni sui non patrasset.

528. ℟. *ad* 3. S. Augustinus furatus est poma, sola audaciae suae inter socios ostentatione, quam tamen veluti aliquod delectabile bonum spectabat, ut idem ipse testatur. Hoc sensu furtum ut furtum amavit.

529. ℟. *ad* 4. Intellectus fertur in falsum ut falsum, quatenus est *cognioscibile*, ut dici solet, et aliquo in sensu sub veritatem cadit, cum verum sit, aliquid esse falsum. At malum sub ratione mali non est *appetibile*. Tum sicuti intellectus nequit falso ut falso assentiri, ita et voluntas non potest malum ut malum velle atque appetere.

Huc etiam pertinent, quae in Ontologia extricavimus (§. 206 *et seqq.*).

530. *Ob.* 2. *contra secundam propositionis partem*. Et quidem 1. In agentibus liberis suarum volitionum et nolitionum ratio est *subjectiva* (*Ontol.* §. 221.): poterit igitur voluntas nostra bonum sub ratione boni pro libito nolle.

2. Potest virtutem, quin et ipsum Deum nolle et odio habere: atqui in virtute atque in Deo nulla esse potest ratio mali, sub qua odio habeantur.

3. Si non potest nolle bonum sub ratione boni, sequeretur, ipsam voluntatem necessario velle debere bonum, quod eidem repraesentatur. Nam in hac hypothesi non posset bonum nolle: Sed ne posset quidem volitionem suam suspendere: nam volitionis circa bonum suspensio secum fert carentiam consecutionis ejusdem boni; carentia autem boni est malum: ergo si voluntas posset velle volitionis suae suspensionem, posset quoque velle malum, et quidem sub ratione mali, cum in hac suspensione nulla boni ratio inesse videatur. Hoc autem repugnat (§. 514.). Ergo necessario deberet velle bonum, atque ideo nulla non *contrarietatis* modo, sed etiam *contradictionis* libertas quoad bonum sub ratione boni spectatum in humana voluntate reperiretur.

531. ℟. *ad* 1. Ratio *subjectiva*, quae in libera ipsa voluntate residet (*Ontol.* §. 222.), supponit rationem *objecti-*

 vam

vam (*ibid. Annot.* 2. *ad* §. 189.), hoc est, boni malive repraesentationem, atque efficit quidem, ut voluntas sit libera (*ibid.* §. 220.), non autem ut possit nolle bonum sub ratione boni, uti ex superius dictis constat (§. 515.)

532. ℟. *ad* 2. Quamvis virtus ac Deus, si in seipsis considerentur, nihil mali contineant, quin imo sint verum ac reale bonum, possunt tamen sub ratione mali saltem apparentis spectari, quatenus effrenatis cupiditatibus adversantur, vel laborem, studium, atque id genus alia sibi postulant. Homines itaque sub hac mali ratione scientiam, virtutem, quia et Deum ipsum quandoque odio habent et aspernantur.

533. ℟. *ad* 3. Vi suae libertatis potest humana voluntas quoad bonum finitum volitionem suam suspendere, uti paullo infra ostendemus (§. 547.). Porro hujus suspensionis motivum est *negativum*, est nempe *infinitae bonitatis carentia* (*Ontol.* §. 231.). At, inquis, fieri potest, ut quis velit ipsam volitionis suspensionem. Ita profecto; sed in hac hypothesi non ipsam spectaret quatenus alicujus boni carentiam sibi affert, quae esset quid malum, bene vero sub ratione boni, saltem prout est actus liberi sui arbitrii et exercitium. Ceterum nonnisi de nolitione quoad bonum sub ratione boni spectatum, non autem de mera suspensione volitionis hoc loci nos disputamus.

QUÆSTIO XVIII.

Utrum Mens humana vera proprieque dicta indifferentiae libertate donetur?

534. *Def.* 1. *Necessitas*, quantum ad praesens institutum pertinet, universim est id, per quod agens, positis omnibus ad agendum requisitis; non potest non agere.

535. *Schol.* Multiplex est, *absoluta et hypothetica* sive *conditionata*; quae in *antecedentem et consequentem* distinguitur. Haec posterior nihil omnino in effectum influit, sed supponit. De his satis superque in Ontologia (§. 42.). Alia praeterea *intrinseca* est sive *interna et naturalis*, *externa* alis sive *extrinseca*. Habetur, prior, si agens indole sua ac natura necessario ad agendum determinetur, uti ignis, dum stuppam comburit; altera vero, si agens ipsum ab externa efficiente caussa ad operandum necessario determinatum sit,

velut

velut quum lapis ab impulsore in altum detruitur. Porro si efficiens caussa externa determinet rem ad aliquid, quod ipsius rei naturae indoli genio inclinationi adversetur, uti est laudati lapidis in altum projectio, ipsam *cogere* dicimus; atque hinc orta *necessitas coactionis*, *coactio*, *violentia*.

536. *Def.* 2. *Libertas* universim spectata est exemptio a necessitate.

537. *Schol.* Triplex vulgo est, cum triplici necessitati, nempe *internae*, *externae*, *et coactionis* opponatur. Itaque quod natura sua sive essentia ad operandum necessario non determinatur, liberum est libertate a necessitate *interna*; libertate autem a necessitate externa, quod a nulla externa efficiente caussa ad operandum necessario adigitur; quod demum contra propriam indolem, naturam, propensionem, genium ad operandum necessario non compellitur, seu quod juxta propriam indolem, inclinationem, naturam operatur, est liberum libertate a necessitate *coactionis* sive *spontaneum*, ut lapis dum in libero aere sibi relictus deorsum praeceps labitur.

538. *Corol.* I. Omne agens liberum libertate a necessitate externa est etiam liberum a coactione, seu spontaneum. Quod enim a nulla externa efficiente caussa ad operandum adigitur, uti postulat id genus libertas (§. 537.); sane vi propria, atque ideo juxta naturam suam, indolem, propensionem, genium operatur; in quo quidem libertas a coactione, seu ut loqui amant Scholae, *spontaneitas* sita est (*ibid.*).

539. *Corol.* II. Non omne agens liberum libertate a coactione est etiam liberum libertate a necessitate interna. Fieri enim potest, ut aliquid a nulla externa efficiente caussa ad operandum contra propriam naturam atque indolem compellatur, atque ideo sit spontaneum, simulque natura sua atque essentia ad illud ipsum determinetur; quod quidem libertati a necessitate interna omnino opponitur (§. 537.). Exemplo sit lapis, dum sibi libere relictus deorsum ruit.

540. *Def.* 3. *Libertas indifferentiae* (*), *electionis* sive *arbitrii* est activa facultas, qua agens eadem donatum citra omnem

(*) *Ut omnis aequivocatio e medio hac super re tollatur, distinguendus est triplex mentis nostrae status, scilicet*

omnem necessitatem tum internam cum externam ; atque ideo etiam coactionis potest ex boni vel mali ratione sibi propria velle aut nolle, atque ad agendum vel ad non agendum, ad unum potius effectum quam ad alium illi contrarium vel ab eodem diversum producendum, etiam positis omnibus ad agendum requisitis, sese determinare.

541. *Schol.* 1. Non omnes quoad libertatis notionem omnino conveniunt. Jacquelotus (*a*) sitam esse putat in facultate agendi aut cessandi ex voluntate ; Lockius (*b*) in facultate agendi aut cessandi secundum cogitationum nostrarum determinationes ; Aphrodiseus (*c*) in facultate eligendi ex consul- [illegible] tatione. [illegible]

(*a*) *De l' existen. de Dieu pag.* 381.

(*b*) *Lib.* 2. *de intel. hum. cap.* 21. §. 8.

(*c*) *De Fato*.

cet status aequilibrii, prepondii, et indifferentiae. *Habetur status aequilibrii, si in uno eodemque vel in duobus aut pluribus objectis aequalem sive boni sive mali rationem percipiamus ; hinc enim aequalis quoque erit appetitio et aversatio* (§. 508.), *ob quam voluntas veluti in aequilibrio subsistat necesse est, cum appetitio et aversatio, de quibus unis loquimur, repraesentationem boni vel mali, quae est earumdem sufficiens ratio* (Ontol. §. 227.), *necessario sequantur. Status* praepondii, *si majorem sive boni sive mali rationem in illis objectis deprehenderimus : hinc namque magis unum quam aliud appetet voluntas vel aversabitur. Status denique* indifferentiae, *si vel objectum, quod voluntas appetat aut aversetur, vel ejus bonitatem aut malitiam ignoremus : hinc enim voluntas adeo indifferens est seu indeterminata, ut ne possit quidem velle aut nolle ; secus namque vellet aut nollet sine boni vel mali repraesentatione, hoc est, sine motivis ; quod plane repugnat* (§. 519.). *Verum hoc loci* indifferentiam *laudato sensu non usurpamus, bene vero quatenus voluntas etiam in statu* aequilibrii et praepondii *non est ad volitionem aut nolitionem, ita determinata, ut necessario velit aut nolit, seu ut necessaria intercedat inter* potentiam proximam *volendi aut nolendi et* actum secundum *seu volitionem ipsam et nolitionem connexio, sed adhuc in ejusdem voluntatis potestate sit velle aut nolle*.

tatione. Malebranchius (a) in vi, quam habet animus determinandi ad particularia objecta, quae nobis placent, impressionem sive inclinationem, quam habemus ad bonum in genere, quamque ipse a Deo immediate derivat, ac *voluntatem* appellat; Wolfius (b) in facultate ex pluribus possibilibus sponte eligendi, quod ipsi placet, cum ad nullum eorum per essentiam determinata sit; Voltaire (c), quem merito ex Philosophorum albo expunxeris, ait: *qui percipit, vult, agit, in agendo liber est.* Mittimus ceteros. Illud monemus; quasdam ex recensitis similesque libertatis definitiones eam tantum notionem exibere, quae, si penitius introspiciatur, purum putum sapit *fatalismum*. Etiam puer ad usum rationis atque ideo ad libertatis exercitium non adhuc ventus, ne dicam brutum *agit aut cessat ex voluntate; percipit, vult, agit*. Profecto Antonius Collins impudentissimus libertatis hostis in praefatione Libri, cui titulus; *Recherches sur la liberté* profitetur, se libertatem defendere, si ejus nomine non intelligatur, nisi *potentia, qua homo gaudet faciendi id quod vult, sive illud quod ipsi placet*: noverat enim vir callidus, hanc notionem *spontaneitati* potius sive libertati a coactione, quam verae proprieque *dictae libertati indifferentiae* convenire. Ne igitur in tanti momenti re verbis tenus a Fatalistis dissentiamur, eam exhibuimus libertatis indifferentiae notionem quae triplicem laudatam necessitatem, internam nempe, externam, et coactionis a se penitus excludit, quaeque illud demum efficit, ut dubitari non possit, quin agens, quod eadem donatum sit, vera prorieque dicta indifferentiae libertate gaudere dicatur.

542. *Schol.* 2. Duplex porro est id genus libertas, *contradictionis sive exercitii*, per quam agens, positis omnibus ad agendum requisitis, sese determinare et non determinare potest, agere et non agere, quae *contradictoria* sunt et *contradictorie* sibi invicem opponuntur: altera *contrarietatis* sive etiam *diversitatis* et *specificationis*, per quam agens ipsum, positis requisitis omnibus, potest sese determinare ad unum potius actum quam ad alium illi contrarium vel ab il-lo

(a) *Lib.* 1. *de inquir. verit. cap.* 1.

(b) *Psychol. empir.* §. 941.

(c) *Discours sur l'hom. sur la liberté de l'homme.*

lo diversum, puta ad amorem potius quam ad odium, qui actus sunt sibi invicem *contrarii*, ad lectionem potius quam ad ludum, qui sunt actus *diversi*.

Sensus quaestionis.

543. Quaerimus itaque, utrum mens humana in suis volitionibus et nolitionibus laudata indifferentiae libertate sive contradictionis sive contrarietatis donata sit?

544. *Schol.* Putat Lokius (a), libertatem principio agenti seu homini, non voluntati seu potentiae tribui debere, adeo ut voluntatem appellare liberam perinde sit ac virtutem nuncupare quadratam. Verum nihil id refert, dummodo libertas servetur. Quantum porro libertas humana sese extendat, quomodo a cognitione dependeat, ut exerceatur, atque alia id genus partim in objectionum solutionibus, partim vero in Appendice exponemus.

Opinionum diversitas.

545. Mirum sane est, tot fuisse atque etiam nunc temporis esse, qui humanam libertatem e medio sustulerint. Nempe ii omnes, qui etiam spiritibus vim omnem activam adimunt (*Ontol.* §. 295.), sine qua nulla esse potest libertas. Materialistae quoque (§. 10.), cum materiae libertas nulla possit convenire. Quidam ex Stoicorum familia, et qui Zoroastri doctrinam sequuti sunt, quos inter Manichaei, Marcionitae, et Priscillianistae. Lutherani praeterea, Calvinistae, et Jansenistae; tum quibus *Fatum* sive democriticum, sive spinozisticum, sive mahummedanum, sive demum astronomicum adrisit (*Ontol.* §. 279. *et seqq.*). Nominandi potissimum sunt Thomas Hobbesius (b), Collins (c), Helvetius (d) Petrus Bayle, Benedictus Spinoza (e), Tolandus, Poiretus, Diderot, Voltaire, Lametrie, Freret, Auctor *Systematis naturae*, aliique increduli et libertini. Quidam suspicantur de Leibnitio (§. 332.), quem laudatus Collins ejusdem amicissimus tanquam necessitatis defensorem laudat. Wolfius humanam libertatem et profitetur et vindicare conatur: verum ex ejus

---

(a) *Lib. 2. de intellectu hum. cap. 21. §. 14. et seqq.*
(b) *Lib. de libert. et necessitate.*
(c) *Recherches sur la libertè.*
(d) *De l' esprit discours 1. chap. 1.*
(e) *Eth. part. 2. prop. 48.*

ejus de Ratione sufficiente systemate quidpiam recta descendere, quod libertati ipsi opponi videtur, alibi adnotavimus (*Ontol.* §. 220.); ac subinde rursus dicemus. Hi omnes licet diversas inierint vias, uno vocabulo *Fatalistae* jure adpellantur, quibus reliquum Libertinorum vulgus accessit, qui in circulis interque pocula et amores scientias ructant, eruditionem affectant, animum a præjudiciis, melius a Religione liberum ostentant, incautos impietatis veneno inficiunt, novisque proselytis effrenatam scelestamque Incredulorum sectam promovent, augent, cumulant. Contra hos omnes pugnant sacrae Scripturae, Concilia, Patres, leges ipsae sive divinæ sive humanae, conscientiae stimuli, experientia, bonum et malum morale, praemium et poena, tum docti quique sive Theologi sive Philosophi, quin et totum ipsum cujusque ætatis status et conditionis humanum genus.

Hypothesis.

546. Ad libertatis, de qua loquimur, naturam atque essentiam requiritur 1., quod agens sit a necessitate tum interna cum externa et a coactione prorsus immune: 2. quod activam vim habeat sese ad agendum vel non agendum, ad producendum hunc potius effectum quam alium sive contrarium sive diversum ex boni vel mali ratione sibi propria determinandi. Hypotesis loco id assumimus, cum in accurata libertatis indifferentiae notione manifestae contineatur (§. 540.).

LEMMA I.

Mens humana in suis volitionibus et nolitionibus a necessitate tum interna, cum externa, et a coactione est prorsus immunis.

547. *Pr.* 1. *pars.* Leges praecipuae, quibus caussae interna ad operandum necessitate determinatae subjiciuntur, et ex quibus dimanant ceterae, sunt 1., quod positis omnibus ad agendum requisitis, nequeant, ne per instans quidem actionem suspendere, sed continuo operentur: 2. quod ad extremum virium, seu quantum possunt, semper agant. Perspicua haec sunt tum ex natura caussae necessariae (*Ontol.* §. 248. 272.), tum ipsa experientia, qua constat, lapidem, qui sibi relictus deorsum cadat, his legibus necessario et constantissime obtemperare. Numquid vero et mens humana? Non equidem priori. Ea enim, quae, ut mens velit, praerequiruntur, sunt ipsius mentis vis et energia, tum bonum eidem repraesentatum; illa quidem ut *potentia*, hoc autem

ut

ut *objectum*, circa quod versetur, et *motivum*, quo allicia-tur (§. 517. 518.). Mentem vi activa donari, et certum hoc loci supponimus; et Fatalistae, quos oppugnamus, conce-dunt: neque enim asserere possunt, mentem ipsam interna sive naturae necessitate velle aut nolle, quin simul internam vim activam, qua velit aut nolit, eidem adjudicent. At ve-ro si aliquod peculiare finitum bonum menti exhibeatur, ju-gi experientia compertum est, nos posse volitionem vel omni-no vel saltem per tempus aliquod suspendere, licet voluntas ad bonum illud per appetitionem inclinetur. Id usu venit saepissime, adeo ut qui vel negaverint vel in dubium verte-rint, non modo aliis quibusque hominibus, sed etiam sibi ipsis turpissime mentiantur. Quare priorem necessitatis inter-nae legem necessario non sequitur humana voluntas. Sed neque alteram. Quis enim nesciat, se non semper totis, qui-bus potest, viribus operari? quis semper ad extremum viri-um legat, ambulet, diligat, meditetur? quem nunquam poeniteat, desidem se in re aliqua fuisse? Manifesta haec sunt. Cum igitur mens humana necessitatis internae leges non necessario sequatur, perspicue liquet, quod ipsa in suis vo-litionibus et nolitionibus a necessitate interna est prorsus im-munis. *Q. E. 1. pars.*

548. *Pr. 2. pars.* Humanam voluntatem non adigi neces-sitate externa, inde patet, quod non aliena, sed vi propria sese determinat: *sentit animus*, inquit Tullius (*a*), *se mo-veri; quod cum sentit, illud una sentit, se sua vi, non aliena moveri*. Neque porro bonum menti repraesentatum nobis objiciant Fatalistae: non enim ejusdem repraesentatio vim confert menti, sed supponit. Tum cum repraesentatio haec non sit nisi mentis cognitio, in ipsa est mente, et ad mentem pertinet; neque idcirco est externa efficiens caussa, ex qua una debet necessitas externa procedere (§. 535.). Tandem bonum finitum repraesentatum, de quo loquimur, vim tantam non habet, ut volitionem necessario extorqueat: possumus enim volitionem ipsam cohibere (§. 547.); quod profecto necessitatis externae legibus omnino adversatur, uti notissimum est Physicis ac probatissimum. Hoc idem dictum sit de malo finito, quod nolitionis objectum est ac motivum.

Quae

(*a*) *Lib. 1. qq. tuscul. cap.* 23.

Quae cum sint, mens humana in suis volitionibus et nolitionibus a necessitate externa est prorsus immunis. *Q. E.* 2. *pars.*

549. *Pr.* 3. *pars.* Omne agens liberum libertate a necessitate externa est etiam liberum seu immune a coactione (§. 538.). Hujusmodi porro est voluntas humana (§. 548.). Tum si haec a coactione immunis non esset, cum coactio rem adigat ad agendum contra propriam ejus inclinationem propensionem indolem genium (§. 535.); jam mens ipsa vellet simul et nollet: vellet quidem, cum ex hypothesi ad volendum cogatur; nollet autem, cum volitio coacta contraniteutem, repugnantem, ac nolentem voluntatem supponat; verbo vellet invita, seu, quod perinde est, vellet nolens, cuperet refugiens, diligeret non diligens; quae profecto manifestam contradictionem ac pugnam involvunt. Igitur mens humana in suis volitionibus et nolitionibus a coactione est prorsus immunis *Q. E.* 3. *pars.*

L e m m a II.

Mens humana activam vim habet se se ad agendum vel non agendum, ad producendum hunc potius effectum quam alium sive contrarium sive diversum ex boni vel mali ratione sibi propria determinandi.

550. *Pr.* Voluntatem humanam velle et non velle, quae contradictoria sunt; tum velle et nolle, et quidem hoc potius modo quam alio sive contrario sive diverso, puta amare vel odio habere, idque majori vel minori intensione, quorum illi sunt actus contrarii, hi autem divesi, adeo intima uniuscujusque conscientia perspectum est atque evidens, ut ne ipsi quidem Fatalistae negare audeant ac possint. Hæc porro ab externa efficiente caussa non adveniunt menti, cum ipsa a necessitate externa sit prorsus immunis (§. 548.). Itaque harum actionum caussa physica est ipsa mens, quae proinde interna vi activa ad illas ipsas eliciendas donata est. Quod autem mens actiones illas eliciat ex boni vel mali ratione sibi propria, liquet ex eo, quod bonum et malum repraesentatum sint voluntatis objecta et motiva (§. 517. 518.) sine quibus neque agit voluntas neque agere potest (§. 519.). Quare mens humana &c. *Q. E. P.*

PROPOSITIO.

Mens humana vera proprieque dicta indifferentiae libertate donatur.

551. *Pr.* Ad libertatis, de qua loquimur, naturam atque essentiam requiritur 1., quod agens sit a necessitate tum interna cum externa et a coactione prorsus immune: 2. quod activam vim habeat sese ad agendum vel non agendum, ad producendum hunc potius effectum quam alium sive contrarium sive diversum ex boni vel mali ratione sibi propria determinandi (§. 546.); atqui hujusmodi est mens humana (§. 547. 548. 549. 550.): ergo mens humana &c. *Q. E. P.*

552. *Schol.* Haec, quam demonstravimus, de humana indifferentiae libertate veritas est praecipuum maximique momenti in Religionis negocio Fidei nostrae dogma. *Deus*, inquit Ecclesiasticus de primis hominibus loquens (*a*), *ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui*, Neque porro id verum tantum est de innocente homine, uti Lutherus, Calvinus, et Jansenius blasphemarunt: quippe idem sacer Scriptor de lapso homine loquens illum laudat (*b*), *qui potuit transgredi et non est transgressus; facere mala et non fecit*. Unde Tridentinum Concilium eum damnat (*c*), qui *liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit*. Mittimus Ecclesiae Patres, inter quos S. Augustinus, quem, irrito tamen conatu, trahere in suas partes per nefas nituntur Haeretici, Consulantur hac super re Theologi. Ad nos quod pertinet, quaedam praeterea subjicimus ex naturali ratione deprompta, quae assertionem hanc nostram magis magisque confirmant.

1. Toti humano generi insidet de propria libertate constans persuasio. Nonne inquit Augustinus, nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et in orbe terrarum genus humanum? Hic communis omnium hominum, si paucissimos, qui ratione abutuntur, vel potius mentiuntur sibi ipsis, exceperis, sensus sicuti in aliis rebus (*Log. Annot. ad* §. 309.), ita etiam in ea, de qua agimus plu-

(*a*) *cap.* 15. *v.* 14.
(*b*) *Cap.* 30. *v.* 10.
(*c*) *Sess.* 6. *cap.* 5.

plurimi aestimandus est, cum et vox naturae esse videatur, et nihil omnino alicujus momenti eidem adversetur.

2. Si nulla est libertas; nulla quoque est moralis bonitas aut turpitudo. Nam neque virtuti neque vitio verti potest, quod fatali necessitate peragitur. An virtutem esse in lapide dixeris, si immotus consistens ad fabricae constructionem inserviat; aut vitium; si hominem ex alto cadens occideret?

3. Ut quid sine libertate leges, praesertim quae malefactis supplicia decernunt? Nonne plane injustae? *Si Parca omnium rerum est caussa: ergo si quis patrem occiderit, Parca in culpa est. Si Minos recte velit uti judicio, multo aequius Fatum pro Sisypho, Tantalo pugnet: Quid enim illi injuste egerunt; quando diis obtemperarunt* (a)? Non injustae, reponit Collins: nam leges illae et resecant corrupta membra, et ne crimina in posterum perpetrentur, impediunt. At ubinam quaeso *corrupta* membra sine vitio, aut vitium vel crimina sine libertate? Tum sicut benefactis grati animi sensus praemiumque debentur, etiamsi haec ad sequuturam virtutum exercitationem non conferrent; ita quoque crimina puniri debent, quamvis punitio ipsa neque in exemplum, neque in aliorum hominum emendationem, neque demum ad futurorum criminum impedimentum inserviret. Juste, inquis, plectuntur bruta, si male egerint; et leones in quibusdam Africae provinciis cruci affiguntur, licet nulla libertate donentur. At nemo cordatus putaverit, justitiae proprie dictae jura in bruta exerceri, dum poenis aut etiam morte afficiuntur, cum nulla omnino mali meriti ratio in ipsis existat.

4. Nemo est, qui necessarias animi sui affectiones, puta sensationes a liberis, uti sunt volitiones, tum appetitionem *indeliberatam* a *deliberata* volitione non aperte distinguat. Hinc illa conscientiae tranquillitas vel stimuli, quibus se homines excusant vel etiam accusant. Asserere autem cum Auctore Anonymo (b), nos interno hoc sensu stimulisque perpetuo illudi, impium est ac stultissimum. Respondet Collins conscientiam esse judicium humanarum actionum secundum datam quamdam regulam, quam observatam a se non fuisse postea quis dignoscit. Ita profecto. Ergo aliqua habe-

(a) *Claudianus in Jove.*
(b) *Discours sur la vie heureuse.*

habetur morum *regula*, tum bonum vel malum morale, virtus aut vitium. Sed haec esse non possunt sine libertate, cum quaevis morum regula esse debeat observatu possibilis: nam neque Deus neque homines impossibilia praecipiunt aut praecipere juste possunt. Mittimus cetera, quibus humana indifferentiae libertas invictissime demonstratur (*).

Fatalistarum cavillationes enodantur.

553. *Ob.* 1. Humana voluntas est quoad volitiones suas indifferens; atqui quod indifferens est, ab alio determinetur oportet, quod autem ab alio determinatur, liberum esse non potest: ergo falsa propositio.

554. ℞. *D. maj.*, humana voluntas est quoad volitiones suas *active* indifferens, *C.*, *passive*, *N. maj.*; et *D. min.*, quod est *passive* indifferens, ab alio determinetur &c., *C.*, quod *active* indifferens est, *N. min. et Cons.* Duplicem indifferentiam, quam in rebus creatis agnoscunt cordatiores Philosophi, *activam* nempe et *passivam* alibi adcurate ac perspicue exposuimus (*Ontol.* §. 236.), adeo ut opus non sit, eam-

(*) *Humanam libertatem* intimo *etiam* sensu *seu* conscien*tia nobis constare, passim docent Theologi aeque ac Philosophi. Dicam quod sentio. Libertas universim atque in se spectata est* facultas *seu* potentia *mentis humanae, non actualis actio seu affectio. At sensus intimus est experimentalis notitia, qua praesentem et actualem animi nostri statum, variasque ipsius affectiones percipimus* (Log. §. 381.). *Non igitur circa libertatem, quatenus est mera potentia, ipse versatur. Profecto quamvis libertas hoc sensu spectata etiam in infantibus reperiatur, ipsis tamen intimo sensu neque constat neque constare potest. Sed ne constat quidem, si ejusdem exercitium spectemus. In ipso duo considerari a nobis possunt, nempe actus volitionis, et potentia eam ipsam volitionem non eliciendi. Ille quidem sub intimum sensum cadit, eoque nobis constat nos velle; sed non isthaec: nam, uti mox dicebamus, sensus intimus circa meram potentiam seu facultatem non versatur. Non itaque per intimum sensum proprie usurpatum nobis constat nostra libertas. Sed tamen adeo persuasi de eadem sumus ac certi, ut inde exortus sit communis apud omnes omnino sanae minervae sensus, quem jure plurimi facimus* (*n.* 1.).

eamdem hoc loci iterata oratione illustrare. Quod est *passive* indifferens, ab alia profecto externa efficiente caussa determinari debet, atque ideo nulla omnino pollet libertate: non item vero quod *activa* indifferentia est praeditum, cujusmodi sane est voluntas humana, quae vi activa donatur (§. 550). Ipsa itaque est, quæ propria vi indifferentiam suam tollit. Cum porro nulla interna necessitate, cum ab eadem sit prorsus immunis (§. 547.), ad id compellatur; perspicue liquet ipsam vera proprieque dicta indifferentiae libertate gaudere.

555. Hinc elucet quoque quam imperite vel corpora universim, vel libram, vel acum magneticam nobis objiciant quidam Fatalistae. Hæc enim omnia et singula non sunt nisi *passive* indifferentia.

556. Neque minus imperite objectant alii vulgata illa: *nemo sibi dare potest, quod non habet: quidquid movetur, ab alio movetur*. Addunt, quod sicut mens humana non potest sibi existentiam tribuere aut conservare: conservatio enim est continuata creatio, ita nequit sese determinare, sive volitionibus existentiam et conservationem impertire. Ad primum enim quod spectat, cum mens humana vi activa sit praedita, profecto dum vult; aliquid sibi dat, quod antea *formaliter*, ut ajunt, non autem quod ne *virtualiter* quidem habebat. Quidpiam simile paullo superius diluimus (§. 450).

Minoris momenti est alterum. Si de motu proprie usurpato, qualis convenire solet corporibus plane ex se inertibus, sermo sit, ultro concedimus, ipsum ab alio necessario procedere. Sed alter sese res habet, si motus nomine mentis humanae volitiones intelligantur (uti intelligi interdum solent); non enim mens nostra ad ipsas movetur, nisi quatenus opus habet Dei concursu, qui ad rem praesentem non pertinet; tum boni repraesentatione, quæ tamen cum finitæ sit efficacitatis, allicit quidem mentem, sed non compellit. Quare ipsa est, quæ ad objecti boni præsentiam vi sua se movet.

Postremum denique nullam omnino vim habere ex iis abunde constat, quae alibi de mentis nostrae vi et efficacitate universim disseruimus (*Ontol*. §. 324. 325.).

557. *Inst*. Volitiones pendent ab appetitionibus, appetitiones ab impressionibus, impressiones demum ab objectorum externorum actionibus, aeris temperie, structura corporis, animique constitutione; atqui constitutio animi, corporis

stru-

structura ; aeris temperies , objectorum externorum actiones ; impressionesque , indeque exortae in voluntate appetitiones sunt omnino necessariae : ergo quamvis voluntas et esset et dici posset active indifferens , nihilo tamen minus ab alio et quidem necessario determinatur . Ita fere Collins .

558. R. *D. maj.* , volitiones pendent ab appetitionibus tanquam a caussis necessario determinantibus , *N.* , tanquam a motivis allicientibus ; *C. maj.* ; *et permissa min.* in sensu explicando , *N. Cons.* Hoc est achilleum Collins argumentum . Facili tamen negotio penitus enervatur . Si humanae voluntati bonum aliquod exhibeatur ; statim ac necessario indeliberata quaedam in ipsum inclinatio propensio sive appetitio innascitur (§. 508.) . Ab hac appetitione pendet deliberata volitio ; nihilominus cum sit finitae activitatis (loquimur enim de bono finito , vel de infinito non perspicue cognito) ; non necessario volitionem extorquet , sed in nostra est potestate , eidem appetitioni vel adhaerere vel repugnare , uti et experientia abunde constat , et superius demonstravimus . Ceterum non semel appetitiones ipsae subsunt libertati , quatenus interdum possumus caussas , quae illas necessario excitant , pro lubitu inquirere morari declinare aut etiam aperte rejicere . Quis enim non animadvertat , voluntatem aliquem in intellectum dominatum ita exercere , ut possit ipsum vel in rei alicujus cognitione defigere vel ab eadem evocare alioque divertere ? quis nesciat , externos sensus cohiberi posse a voluntate , utputa ne oculi datum objectum conspiciant ; utque ceteri externi sensus occasiones fugiant , quibus appetitiones necessario excitarentur ? Quare appetiones non semper necessariae sunt , quatenus pleraeque ut in nobis accidant , necne , in nostra sunt potestate . Videat ergo Collins , quam misere hoc argumento caussam suam patrocinetur .

559. Hinc etiam liquet , quo sensu intelligendum sit celebre illud : *trahit sua quemque voluptas* . Voluptas nempe , quae necessario cum appetitionibus connexa est , mentem nostram allicit ad volitionem , non impellit ; unde est , quod eidem etiam vehementi non raro reluctamur . Hæc eadem de taedio , de modestia , ac de dolore , cum quibus certa quaedam indeliberata declinatio sive aversatio necessario conjungitur , dicta intelligantur ; scilicet non necessario nolitionem extorquent ; tum aliqua saltem ratione libertati subjiciuntur , uti antea de appetitionibus dicebamus (§. 558) .

Inst.

560. *Inst.* Repraesentatio boni etiam finiti et particularis, ex qua appetiones necessario enascuntur, est sufficiens ratio volitionis; sed posita ratione sufficiente, poni necessario debet *rationatum*, seu id, cujus est ratio sufficiens (*Ontol. Annot. ad Can. II.* §. 214.): ergo volitiones pendent ab appetionibus tanquam a caussis necessario determinantibus.

561. R. *N. maj.* Hanc difficultatem, tum reliquas ex ratione sufficiente petitas, quae urgeri praeterea possent, satis superque jam enodavimus (*Ontol.* §. 225, *et seqq.*). Hoc unum addimus, nempe Leibnitianos, quorum judicio nonnisi objectiva ratio seu motivum est etiam in caussis liberis suarum determinationum ratio sufficiens, aut nullimode aut quam maxime difficile ab id genus difficultatibus expedire sese posse.

562. *Dices* 1. Humana voluntas vel libertatem exercet antequam operetur, vel eo tempore quo operatur, vel demum postquam operata est. Non primum: tunc enim velut quiescit, cum quiete autem sive inactione esse simul non potest exercitium libertatis. Non alterum; nam dum operatur, necessario operatur, juxta vulgatum illud: *quidquid est, quandiu est vel tale est, necesse est esse vel tale esse*. Non tandem postremum; tunc enim quiescit, sive in inactione est. Voluntas igitur neque unquam libertatem exercet, neque exercere potest, atque ideo eamdem non habet: ut quid enim ipsa, si exire in actum non possit?

2. Libertas, si penitius inspiciatur, est pura vel saltem magna imperfectio: quot enim mala non inde nascuntur? Hinc Beati in cœlis regnantes eadem prorsus carent. Ita Collins.

3. Frustra pœnæ vel præmia proponerentur hominibus, si ipsi non necessario agerent: quippe in libertatis hypothesi possent iidem homines, propositis etiam pœnis illis aut præmiis, male operari. Ita laudatus Collins et Voltaire.

4. Communem, vel etiam, si mavis intimum libertatis sensum infirmare conantur Spinoza, Collins, et Bayle. Fieri, inquiunt, potest, ut aliqua externa caussa necessario ad agendum nos compellat, ita tamen ut fatalem hunc impulsum nostræ inclinationi constanter attemperet; qua sane in hypothesi nobis videremur liberrime operari. Et re quidem vera communis hic sensus vel intimus ex eo procedit, quod nostri appetitus conscii tantum simus, caussas autem, a qui-

bus

bus determinamur, ignoremus. *Concipe jam, si placet*, inquit Spinoza (*a*), *lapidem, dum moveri pergit, cogitare et scire, se, quantum potest, conari, ut moveri pergat. Hic sane lapis, quandoquidem sui tantummodo conatus est conscius, et minime indifferens, se liberrimum esse, et nulla alia de caussa in motu perseverare credet, quam quia vult. Atque haec humana illa libertas est, quam omnes se habere jactant, et quæ in hoc solo consistit, quod homines sui appetitus sint conscii, et caussarum, a quibus determinantur, ignari*. Utitur quoque exemplo infantis lac appetentis, hominisque ebrii, deliri quoque vel somniantis (*b*). Bayle vero exemplo acus magneticæ (*c*).

563. ℞. *ad* 1. Homo libertatem in *actu primo*, ut ajunt, habet etiam antequam operetur, quatenus in ejus potestate est velle aut volitionem suam circa bonum finitum cohibere: exercet autem, dum reapse operatur; non quidem quasi conjungere simul possit operationem cum non operatione seu actum cum non actu: id enim vetat objectum axioma, tum illud, *idem non potest simul esse et non esse*; bene vero quatenus ipsa ita operatur, ut simul possit non operari: *agere* enim et *potentia* non agendi non omnino opponuntur, sed tantum *agere et non agere*, *potentia et non potentia*; sicuti Philosophis compertum est et exploratum.

564. ℞. *ad* 2. Quamvis libertas in homine esset ac dici posset imperfectio; quid tum inde? Numquid hominis indoles genium natura omnino postulant, ut sit undequaque perfectus? Ceterum falsum plane est, libertatem puram esse imperfectionem vel saltem magnam, si ipsa, qualem hominibus primitus concessit Deus, inspiciatur. Bona siquidem fuit: nam licet potentiam agendi malum involvisset; adeo tamen et Naturae et Gratiae donis ornabatur, ut plane silente passionum strepitu domitisque effrenis concupiscentiae stimulis, ad bene agendum constanter inclinaretur. Præsens imperfectio hominum culpa est ac poena. Neque tamen putaveris, ipsam in statu Naturae lapsae bonam per se non esse, cum meriti boni, indeque perpetuae felicitatis (quod maximum bonum est,) fons sit et origo. Si mala inde pro- cedunt,

(*a*) *Epist.* 62.
(*b*) *Eth.* part. 1. *in Appendice*.
(*c*) *Rèpons. au Provinc.*

cedunt, non libertatis, sed hominum vitium est, qui eadem male utuntur. Status Beatorum, quem nobis obtrudit Collins nihil plane ad rem nostram pertinet. Hic est status non merendi sed fruendi; noster est status non fruendi sed merendi, unde ea libertas, quae ad perfectionem status Beatorum non confert, confert sane ad status nostri perfectionem: nam sicut virtus, ita etiam meritum sine libertate esse non potest.

565. ℞. *ad* 3. Poenae et praemia non frustra proponuntur hominibus in libertatis hypothesi: quamvis enim homines repugnare eisdem possint, ea tamen habent velut totidem motiva, quibus alliciuntur, ut libertate sua bene utantur. Ceterum etiam in necessitatis hypothesi inutilia interdum esse, fateri debent, velint nolint, Fatalistae ipsi, cum videamus, homines, quorum libertatem negant, propositis licet poenis et praemiis, male non semel operari; illudque addendum praeterea, quod poenae in eorum hypothesi essent plane injustae (§. 552. *n*. 3.).

566. ℞. *ad* 4. Quid ipsi quoad intimum sensum, quantum ad rem praesentem attinet, sentiamus, paullo superius exposuimus (*Annot. ad n*. 4. §. 552.). Neque vero propterea triumphent Fatalistae. Nam praeter ea plura, quae libertatem nostram invictissime ostendunt, nullius plane momenti sunt, quae adversarii hoc loci tanto verborum exemplorumque apparatu nobis obtrudunt. Atque ut perspicui simus, quinque status in nobis ipsis clare distiguimus; 1. quum inviti aliquid ab externa caussa patimur, puta dum ab alio in terram repugnantes dejicimur: 2. quum volentes ab externa item caussa determinamur, velut dum ex electione vebimur rheda: 3. quum interna caussa necessario compellente aliquid agimus, uti dum ex alto cadentes cadere pergimus: 4. quum item interna caussa, sed quae omnem electionem praevenit atque advertentiam, operamur, ceu dum subita vehementique irae concitatione in verba contumeliosa prorumpimus: 5. denique quum voluntas nostra ex electione sese determinat. Quatuor priores status esse per se status necessitatis quisque, qui ratione utatur, et dignoscit et non modo a se invicem, sed etiam a posteriori, qui est status libertatis, manifeste distinguit. Ad rem. De priori statu nulla est vel esse potest disputatio: nam sive lapis, quem cogitantem fingit Spinoza, sive ebrius, sive acus magnetica, sive quid-

quid aliud, cum sentiat sibi repugnanti violentiam inferri, nullam haberet neque habere posset libertatis persuasionem ac sensum. Alter status exhibet ebrium, qui quamvis ex electione ebrietati se dederit, attamen cohibere nequit, quae ebrietate correptus efficit. At sicut rheda tractus non putat, actualem illam tractionem sibi liberam actu esse, quamvis ipsa juxta inclinationem suam fiat, ita et ebrius. Tertius est status lapidis conantis moveri quantum potest. Non igitur putaret, se liberrimum esse (*), cum homo, de quo loquimur, non putet se libere, sed omnino necessario cadere dum cadere pergit. Quartus est status infantis, atque hominis sive ebrii sive deliri sive somniantis, qui certe neque putat, se libere efficere quae efficit, neque putare potest: haec enim advertentia sive judicium ad rationem pertinet, cujus exercitio eo tempore non potiri supponitur, vel si id putaret (de adulto loquimur), esset potius mechanica praecedentis persuasionis de propria libertate excitatio, quam actualis reflexio sanumque judicium, cui vis aliqua ac fides tribuenda sit. Hinc laudatus homo postquam ad rationis exercitium pervenerit aut redierit, manifeste agnoscit propriam in laudatis statibus ad agendum necessitatem, adeo ut eadem de malis, siquae forte patrasset, sese excuset. Falsum est igitur, quod lapis, infans, ebrius, delirus, somnians in factis a Spinoza hypothesibus putarent se esse liberos, atque ideo ineptissime exempla hæc in medium profert, ut communem omnium hominum de propria libertate sensum excutiat.

Plura

(*) *Sed demus, id putare; quaerimus an libere, vel necessario? Non equidem primum; secus enim Fatalistae dum negant libertatem, libertatem adstruerent. Sin autem alterum; ergo quoties homo ad statum laudati lapidis traducatur, uti ipsum traducit Spinoza, nacessario et vi legum naturalium in errorem laberetur, eique adhaeret, proindeque Deus, qui est Naturae ejusque legum auctor, ita homines constituisset, ut necessario errarent, essetque necessarii hujus erroris auctor et caussa; quod vel cogitare nefas.*

Plura alia, quae Fatalistae nobis obtrudunt, ac potissimum Voltaire (*a*), omnino praeterimus: adeo enim exsucca sunt ac futilia, ut ne exponi quidem mereantur.

567. *Ob.* 2. *cum Fati astrologici patronis.* Imprimis Astra sive luce, sive gravitatione mutua, sive motu, sive alia quavis actione in aeris consititutionem temperiem mutationes, istae vero in humana corpora, haec demum in mentes influunt. et quidem ita, ut cum illorum efficacitas sit maxima, mens humana nequeat eidem obsistere.

2. Hinc est, quod in diversis climatibus diversa sunt hominum temperamenta mores affectus, in iisdem vero eadem; quod certe esse non posset, nisi tanta esset Astrorum in animos activitas, ut eisdem necessitatem inferant.

3. Astrologi certo plura divinarunt, quae ex hominum voluntate pendebant. Theogenes, si Svetonio fides (*b*), statim ac noverat Octavii genituram, huic tanta fiducia praedixit imperium, ut exiliverit eumque adoraverit. Thrasullus ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare dixit Tiberio, quod re ipsa hic illi, re cum nullo communicata, moliebatur (*c*). Ipse Tiberius dixit Sergio Galbæ: *et tu Galba quandoque degustabis imperium* (*d*): quandoque degustabis, inquit, ut et sera et brevis ejusdem potentia significaretur. Proximam Domitiani caedem praedixerat Ascletario. Quare *hunc* (nempe Ascletarionem) *delatum, nec inficientem jactasse se, quae providisset ex arte, sciscitatus est* (Domitianus) *quis ipsum maneret exitus; et affirmantem fore, ut brevi laceraretur a canibus, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri, quoque accuratissime imperavit. Quod cum fieret, evenit, ut repentina tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discerperent canes* (*e*). Celebre est trium Astrologorum, qui Johanni Pico Mirandulano acerrimo astrologiae divinatricis impugnatori futuram ante 36. ætatis suae annum mortem praedixerant, vaticinium. Postremo, ut cetera alia, quae apud Scriptores fi-

(*a*) *De la Religion naturelle.*

(*b*) *In Augustum.*

(*c*) *Tacitus Annal. lib.* 6.

(*d*) *Dio lib.* 55., *et Tacitus loco citato.*

(*e*) *Svetonius in Domitianum.*

de dignissimos legimus, praetereamus, in Centuriis Johannis Rodulphi Camerarii editis Francofurti anno 1607. praenunciabatur, Henricum IV. Galliarum Regem juxta horoscopum violenta morte obiturum fore anno 1610., seu aetatis suae anno 59., mense 9., die 21.; quod exitus comprobavit. At haec hisque similia neque praedici tanta confidentia, neque tam accurate evenire potuissent, nisi astra ita in hominum animos influerent, ut necessitatem plane ineluctabilem eisdem inferant.

568. R. ad 1. Astra ratione aliqua in sublunaria haec corporea influere, non negamus; sed tamen adeo minima est eorumdem efficacitas, ut, si solem excipias, frustra vanissimeque ab eisdem derivaveris tot illos tamque decantatos effectus, quos olim Medici, Agricolae, et Magi iisdem tribuebant. Rem hanc fusa oratione persecuti sumus in nostra Astronomia physica, riteque institutis ac pensitatis observationibus confirmavimus (q. 12.). Quidquid tamen sit, unas ad summum in hominum animis excitant certas quasdam inclinationes propensionesque, quibus cum obsistere possint iidem homines, uti superius dicebamus; manifestum est, Astra volitiones nostras atque assensus non necessario extorquere, neque proinde libertatem evertere.

569. R. ad 2. Falsum est, homines pro climatum diversitate, diversa etiam et constanter habere temperamenta, mores, affectus. Nonne plures invenies, qui diversa climata incolentes sibi quantum ad laudata phaenomena mirum in modum consentiant? nonne climatibus non mutatis populi olim barbari indoctique, mites nunc sunt atque exculti; et contra exculti olim ac mites, nunc indocti sunt et barbari? Falsum quoque esse, iisdem affici temperamentis, moribus, affectibus eos omnes, qui in iisdem nascuntur climatibus vel hospitantur; quin potius in dies vel etiam ad horam mutari, jugis experientia luculenter demonstrat. Sed quamvis ita res esset uti Adversariis placet; nonne derivari id posset ex quo homines illi inclinationem propensionemque, in quam plus minus influunt astra, constanter, licet libere, sequantur; tum eorum, quibuscum vivunt, mores, institutionem, educationem, genium, exempla pro lubitu imitentur? Pro lubitu, inquam: nam nos ipsi experimur, nos quandoque aliorum exemplis, genio, educationi, institutioni, moribus, nostrisque etiam propensionibus ex electione reluctari.

At

570. At, inquis, non omnes alicujus nationis aut climatis homines sub eodem astro aspectuque siderum nascuntur. Quid istud? Quanta etiam in gemellis hominibus morum affectuum vitae fortunae varietas? Confer, si placet, Romulum et Remum, Jacob et Esau, eos quoque, qui nunc temporis visuntur, ut inde quam inane sit et commentitium hoc Astrologorum effugium luce clarius dignoscas.

571. Dices fortasse; quaenam igitur est et ut quid mundum superiorem inter et inferiorem tanta illa, quae asseritur, tamque arcta connexio? Nempe haberi haec potest, reque ipsa habetur; quin superior mundus, astra scilicet vel minimam humanae voluntati necessitatem inferant (*Astron. Phys.* §. 478. 707).

572. ℞. *ad* 3. Nemo profecto alicujus minervae est, quivanas Astrologorum praedictiones non rideat, uti ipsas ridet Isaias (*), aut illorum fraudem non facile dignoscat. Hujus rei non leve argumentum est; quod scite Ennius protulit, *Qui aliis monstrant vias, sibi semitas ignorant. Referendae essent in tabellas circulatorum hujusmodi praedictiones, ut quae mentiantur, quae certa pronuncient, dimetiri possit. At nunc apud popellum, ut solet, plus potest vera una opere completa predictio, quam miriades mendaciorum*, inquit Antonius Genuensis. Sane vel ipse Cardanus acerrimus astrologicae hujusce superstitionis patronus ac professor fatetur, quod ex centum praedictis eventibus vix decem acciderint; et Sixtus ab Hemminga triginta erectos horoscopos omnes fuisse eventibus contrarios declaravit. Caesari in Africam navigaturo praedixerant Astrologi, hanc ejus profectionem felicem non futuram; cum tamen omnino prospera fuerit, Johannes Galleacius Dux Mediolanensis dum Astrologus mortem celerem eidem praenuntiaret, vitam autem longam et apud Principes gloriam sibi, vatem jussit strangulari. Refert Johannes Picus (*a*), quod Ordelaphus Princeps Foroliviensis obiit eo anno, quod ipsi Hieronymus Maufredus omnimodam vitae incolumitatem promiserat. Nec mirum: hic

(*a*) *Lib.* 2. *disputationum adversus Astrologos cap.* 9.

(*) Stent, et salvent te augures coeli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi (cap. 47. v. 13.).

hic enim astrologus proxima aestate mortuus est, qui tamen mira sequenti anno se dicturum non semel pollicebatur. Arnaldus Hispanus Antichristum nobis anno 1345. comminabatur. Testatur Cicero (*a*), a Chaldaeis praedictum fuisse Pompejo, Crasso, et Caesari, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum. Quid de Alexandro VI. Romano Pontifice. de Luthero, de Henrico II., et Francisco item II. Galliarum Regibus, de Carolo V. Imperatore, deque aliis pluribus, quorum horoscopi erecti ab Astrologis fuerunt? Nullus esset dicendi finis, si falsae omnes horum praedictiones etiam in compendium redigerentur. Hinc jure merito vel Cardanus ipse: *si vis*, inquit (*b*), *divinare, contrarium ad unguem dicito ejus, quod Astrologi aut pollicentur aut minitantur*; neque injuria eos vocat Tacitus *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in Civitate nostra vetabitur semper, et retinebitur*. Vetabitur, inquam: nam scribit laudatus Picus, quod *Romam quoties veniebant vel ex Ægipto, vel ex Babylonia divinatores isti, toties eos Romana illa providentia severissimis legibus Urbe submovebat. Sic sub Tiberio, sub Vitellio. sub Diocletiano, sub Costantino, sub Gratiano, sub Valentiniano, sub Theodosio, vel deserere professionem, poenas dare professionis coacti sunt*. Vides ergo quam puerile sit Astrologorum praedictiones vereri, ipsosque honore prosequi atque aestimatione.

573. At, inquis, saltem quasdam illorum, qui fortasse prae ceteris hanc artem callebant, praedictiones veras ad unguem fuisse probarunt eventus. Sed imprimis quae de hisce praedictionibus referuntur, non omnem fidem merentur. Facile sibi imponi permittit vulgus, et Historiographi plura proprio marte confinxerunt. Praedictionem, quam a Tiberio Galbae tum Consuli factam testatur Dio, non Tiberio, sed Augusto tribuit Svetonius, neque de Galba Consule sed adhuc puero enunciatam hic idem scribit. Ceterum et Theogenes Octavio, et Tiberius Sergio Galbae conjectando ex populi erga ipsos benevolentia imperium praenunciare potuerunt. Quod de Ascletarione refertur, commentitium est, et solum post

(*a*) *Lib.* 2. *de Divinat. cap.* 47.
(*b*) *Lib.* 1. *Quadripartiti cap.* 2. *textu* 13.

post Domitiani mortem ex populi rumoribus, et Historiographorum malitia evulgatum; unde vel ipse Cardanus *si* inquit, *fabula non est*. Tum Ascletario facile poterat Domitiani mortem pervidere, cum probe sciret, Tyrannos raro securam maturamque mortem obire, et Domitianum ipsum pluribus per id tempus fuisse invisum. Facile etiam ex quo Principi mortem comminaretur, propriam mortem conjectare poterat hic Astrologus; at se lacerandum a canibus vel non praedixit, sed populus, ex quo contigerit, illam vaticinii partem commentus est; vel si praedixit, casu praedixit aut conjectura, quasi suspicaretur, Principem fore canes contra ipsum provocaturum. Sed quidquid sit, profecto eventus praedictioni non omnino consensit, cum canes non ipsum vivum, uti praedixisse videtur, sed mortuum laceraverint. Ad Johannem Picum quod pertinet, tres Astrologi, ut narrat Gauricus, praenunciarunt, ipsum moriturum esse indefinite ante 36. ætatis suae annum, Bellantius vero anno 33. Sed omnes errarunt, cum nonnisi anno 31. complecto vita excesserit. Ceterum etiamsi rem divinassent, quid quaeso mirum? nam facile conjectari id poterat de juvene, qui delicato gracilique temperamento præditus tot studiis laboribusque sese macerabat. Ludovicus Antonius Muratorius, relata Henrici IV. morte, de iis loquens, qui commemoratae praedictioni fidem praebent, inquit (a): *probabilmente s' ingannano, poichè solamente correva in quest' anno* videlicet 1610, *il cinquantesimo settimo di sua età. Potrebbe anche dubitarsi di qualche impostura, cioè di una finta antidata. Tralascio altre predizioni, fabbricate forse dopo la morte di lui, e fatte passare per cose anteriori per dar credito alla mercanzia.*

574. Addimus praeterea, nonnulla ex iis, quae futura sunt, sciri vel saltem conjectari posse sive ex nexu, quem habent naturales caussae cum suis effectibus, sive etiam ex Daemonum astutia ac ministerio, quin necesse sit ad Astrorum influxus confugere (*). Priori modo nautae, agricolae, pastores etiam,

(a) *Annali d' Italia all' an.* 1610.

(*) *Non defuere, qui arbitrarentur, Astra in humanas voluntarias actiones non influere quidem, saltem ita, quod earundem libertas tollatur, sed tamen Deum in ipsis veluti de-*

tiam, medici quoque, doctique physiognomi multa praedicunt, tum prudentes illi homines, qui ex historiae monumentis praevident, quid in praesentibus vel proxime futuris circumstantiis sit eventurum. Hinc *expectatio casuum similium* (§. 595.). Haec multo acutius profundiusque norunt daemones, unde quaedam futura saltem conjiciunt praenunciantque tum quid ipsi, Deo permittente, facturi deinceps sunt (*). Cum tamen conjecturae non semel fallaces sint, vage confuseque

descripsisse liberos hominum eventus, adeo ut qui hac scientia ornatus fuerit, possit in iisdem tanquam in aperto libro, quae futura sunt, legere ac praevidere. Hujus opinionis Plotinum, Simplicium, et Origenem fuisse scribit Cudvorthus (System. intel. cap. 1, §. 2.). *Verum si ita esset, cur tot Prophetiae divino Spiritus Sancti afflatu conscriptae sunt? cur non potius ad apertum coelestem hunc librum nos non provocavit Deus, ut futura praenosceremus? cur denique idem Deus universim eos in sacris Scripturis redarguit, qui Astra eorumque aspectus consulerent? Ceterum haec opinatio, quae humanam libertatem sartam tectamque relinquit, huic nostrae assertioni ne minimum quidem adversatur.*

(*) *Nos hoc loci ridebant ii aetatis nostrae Scriptores, qui quae de malorum Spirituum in terrestribus locis existentia, deque eorumdem praestigiis, oraculis, similibus narrantur, negant, atque inter aniles fabulas indignabundi universim amandant. Verum quid si alii ipsos rideant, vel potius temeritatis notam inurant, quod tot integrae fidei monumenta vel parvi pendant vel etiam aspernentur? Profecto deridiculi sunt, dum mira illa, quae homines, quos Daemones obsedisse narrant historiae, vehementiori phantasiae agitationi adscribunt. Eo quidam devenerunt, ut assererent, quod Magi Ægyptii, quos virgam in serpentem convertisse scribit Moses, primum virgam, tum verum serpentem secum (fortasse sub pallio vel in sacculis clam delatum) in medium projecerint, et quidem tanta dexteritate, circulatorum instar, ut eodem tempore retracta virga absconditaque, virga ipsa velut in serpentem iis, qui aderant, conversa appareret. Lepida sane explicatio expositioque. Verum non est hic ea super re disserendi locus.*

seque divinant; unde tot illae ambages, quibus vetera oracula referta erant atque implicita. Accedit eodem, quod mali Spiritus ex veris Prophetiis, quas noverant, praedictiones de futuris eventibus emittebant in vulgus; puta cum nossent ex Daniele, Alexandrum Magnum, superato Dario Persarum Rege, fuisse Asia potiturum, pronunciare poterant delphicum illud: *invictus eris*. Denique cum maxima celeritate donetur, fieri potest, ut eo fere momento temporis indicent in dissitissimis locis, quae alibi hic et nunc eveniunt adeo ut non tanquam facta sed velut praevisa videantur. Mittimus quae hac super re referuntur de phantasmatibus Castoris et Pollucis, quae Romae eodem die renunciarunt victoriam, quam de Perseo Macedoniae Rege retulerat Lucius Æmilius Paulus; deque Apollonio, qui Ephesi commorans Domitiani mortem eo fere ipso tempore, quo illi inferebatur, nunciavit. Celebre est illud, quod testantur Plutarchus et Gellius, nempe eo die, quo Caesar et Gneus Pompejus ob civile bellum unus adversus alterum in Pharsalia decertabant, Patavii Cornelium auguralis scientiae peritissimum subito exclamasse, *pugnam acerrimam pugnari; demum, vincis Coesar*. *At Cornelii Sacerdotis ariolatio*, inquit Gellius (a), *levis tum quidem visa est, et vecors; magnae mox admirationi fuit*, cum non pugnam modo, sed vices etiam omnes vaticinantis gestu verbisque repraesentarentur. Quae cum ita sint, manifeste elucet, quam falso ex praedictionibus decantatam Astrornm efficacitatem in hominum animos depraedicent Astrologi, atque ex ipsis eorumque aspectibus futuros eventus quam temere vanisimeque praenuncient. Hæc fortasse diductiori, quam par esset, oratione persequuti videbimur. Eo tamen consilio id factum a nobis fuit, ut nimirum praecipua Fati astrologici, quod alibi tantum innuimus (*Ontol.* §. 285.), momenta hoc loci tandem refellerentur.

575. *Ob.* 3. *cum Stoicis*. Aut nulla est in Deo futurorum praescientia, aut nulla libertas est in homine; non primum illud: ergo hoc alterum. *P. maj.* Quod Deus futurum prævidit, est necessario futurum, quod autem ab hominis libertate

(a) *Lib.* 15. *cap.* 18.

tate pendet, necessario futurum non est; atqui esse futurum necessario et non esse necessario futurum contradictorie opponuntur, neque proinde conciliari simul possunt: ergo &c.

576. 2. Hoc argumentum, quo etiam utitur Collins, adeo Ciceronem perturbavit (a), ut cum divinam praescientiam et libertatem humanam conciliare simul non posset, ne negaret libertatem, divinam praescientiam sustulerit, atque *ut nos faceret liberos, fecit sacrilegos*, quemadmodum scribit S. Augustinus (b). Nobis tamen satis infirmum videtur. Rem altius repetamus. Si proprie loqui velimus, nulla in Deo est veri nominis praescientia: nam nulla tanquam futura; de quibus tantum praescientia habetur, sed omnia omnino velut praesentia Deus cognoscit, cum aeternitas proprie accepta neque praeteritum, neque futurum, sed tantum praesens habeat. Hinc eodem modo Deus ea, quae nos futura nuncupamus, videt, quo praesentia, ac jure merito Theologi praescientiam Dei, *scientiam visionis* adpellant. Jam vero alicujus rei cognitio non ipsam rem efficit, in ejusdem existentiam non influit, sed supponit tanquam objectum, circa quod versetur; unde vulgatum illud apud Scholas axioma; *futura non ideo futura, quia praevisa, sed ideo praevisa, quia futura*; itaque praescientia nullam futuris infert necessitatem sed eadem eo modo eorumque ordine extitura supponit, quo a suis caussis sive necessariis sive liberis procedunt. Exemplo rem hanc illustremus. Videat quis aut lapidem ex alto cadentem, aut venientem ad se hominem. Ejus cognitio neutrum efficit aut determinat, sed illum cadentem necessario, hunc autem libere venientem supponit. Etiam memoriae exemplo utitur S. Augustinus (c): *sicut tu memoria tua*, inquit, *non cogis facta esse, quae praeterierunt; sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt*. Si itaque aliqua est necessitas, haec non est *antecedens*, sed *consequens* (*Ontol.* §. 42.), quae cum in effectum non influat sed ipsum supponat, liberam hujus conditionem ne vel minimum quidem perturbat.

Hinc

(a) *Lib.* 2. *de Divinat.*
(b) *Lib.* 5. *de Civit. Dei cap.* 9.
(c) *Lib.* 3. *de libero arb. cap.* 4.

Hinc nulla omnino apparet contradictio: Nam libere futurum necessitatem quidem *antecedentem* excludit, cum antequam existat, poni possit et non poni a caussa, quae illud producit; non autem *consequentem*; quae nempe futuri existentiam supponit: neque enim infectum esse potest quod factum est. Cum igitur praescientia *antecedentem* necessitatem non inferat, sed solum involvat *consequentem*, in quo cum libere futuro plane concordat; manifeste elucet, pugnam nullam esse, nullamque contradictionem.

577. Hinc quoque ad rem non pertinet vulgatum illud: *quod sequitur ex antecedente necessario, necessarium est*. Nam verum tantum est, si antecedens necessarium tanquam caussa determinans aut producens sumatur: quippe effectus naturam caussae sequitur. At divina praescientia, quamvis antecedat futura sitque in Deo necessaria, attamen futura ipsa neque determinat neque producit, sed tantum supponit.

578. *Inst.* Si quod praevidit Deus, non esset necessario necessitate etiam *antecedente* futurum, posset non evenire seu futurum non esse, atqui si potest non esse futurum, potest quoque falli divina praescientia: si igitur Dei praescientia falli non potest, constat, necessario necessitate etiam *antecedente* futurum esse, quod Deus futurum praevidit.

579. R. Divina praescientia spectat reapse futura, quaecumque tandem modo nempe sive libere sive necessario futura sint. Quare ut falli possit, oporteret fieri quoque posse, ut quae praevidentur, simul sint et non sint reapse futura: Sint quidem futura, cum praescientia reapse futura omnino supponat; non sint autem futura, ut Dei praescientia fallatur: At illud manifeste repugnat: repugnat ergo divinam falli praescientiam, quamvis libera sint, quae a Deo praevidentur.

580. Neque vero abs me quaeras, in quonam Deus videat futura? num in seipsis? num potius in divinae voluntatis suae decretis? Tum quomodo humana libertas cum omnipotente ipsa Dei voluntate vel cum praedeterminatione physica vel demum cum Gratiae efficacitate possit conciliari. Haec ad Theologos pertinent. Ad nos quod attinet, satis sit, libertatem humanam etiam a Stoicorum objectionibus vindicasse.

APPENDIX.

Quantum humana indifferentiae libertas sese extendat; tum an et quomodo pendeat ab intellectu, ut exerceatur? postremo quid sit, quod voluntatem ad liberas suas volitiones et nolitiones ultimo determinet?

581. Ad primum quod spectat, nulla est quoad bonum et malum in genere libertas: in illud siquidem necessario fertur voluntas humana, ab hoc autem necessario refugit. 2. Nulla quoque est quoad infinitum particulare bonum perspicue cognitum: cum enim bonum hujusmodi nostrae voluntatis ad perfectam beatitudinem felicitatemque, ad quam neceseario fertur, inclinationi propensionique plenissime satisfaciat, nullam repugnandi potestatem in voluntate ipsa relinquit, unde sponte quidem, uti in Beatis, sed tamen necessario bonum illud et appetit et vult. Profecto nos edocet experientia, voluntatem eo ferri violentius in bonum repraesentatum, proindeque libertatem minui, quo bonum ipsum majus est atque intensius. Si bonum itaque fuerit infinitum simulque perspicue cognitum, adeo violenter in hoc idem bonum ferri debet voluntas, ut ipsa omni omnino privetur libertate sua. Idem plane dicendum de malo infinito, siquod est, perspicue cognito, nempe nulla in nobis superest facultas vis nulla, qua aversationem nolitionemque cohibeamus; eadem quippe ratione, qua ferimur in bonum, a malo retrahimur. Quod si infinitum bonum vel malum non sit nisi confuse cognitum, idem esto de eodem judicium quod de bono vel malo finito. 3. Ad hoc itaque finitum bonum aut malum quod attinet, nulla est, si voluntati exhibitum fuerit, quoad appetitionem vel aversationem libertas: hae siquidem ex boni malive repraesentatione necessario profluunt atque dimanant. Tum nulla etiam est, quatenus humana voluntas nequit bonum sub ratione boni nolle et aversari, malum autem sub mali ratione velle atque appetere. Tota igitur, quanta est, humana libertas eo redigitur, ut possimus bonum particulare finitum, vel infinitum sed obscure cognitum pro lubitu velle aut circa illud ipsam volitionem cohibere, si quidem tantum sub ratione boni nobis exhibeatur; sin autem etiam sub ratione mali, illud idem nolle: tum particulare finitum malum, vel infinitum sed non perspicue nobis repraesentatum nolle aut noli-

nolitionem circa idem suspendere, si sub una mali ratione appareret; sin porro etiam appareret sub ratione boni, velle atque amare. Perspicua haec sunt ex iis, quae hactenus disseruimus.

582. Libertatem, ut exerceatur, ab intellectu pendere, quod erat alterum, aeque manifestum videtur. Nam voluntatis motiva sunt boni malive repraesentatio (*Ontol.* §. 189.), seu, quod perinde est, bonum ipsum vel malum a mente cognitum. At voluntas humana sine motivis velle aut nolle non potest (§. 519.): ergo nequit velle aut nolle sine cognitione. Hinc vulgata illa: *nihil volitum, quin praecognitum: et ignoti nulla cupido*. Jam vero cognitio pendet ab intellectu, cum illa sit hujus effectus: ergo etiam voluntas in suis volitionibus nolitionibusque ab eodem pendet. Atqui libertas, nisi dum volumus aut nolumus seu operamur, non exercetur (§. 563.): ut itaque exerceatur, pendeat ab intellectu necesse est; quin et ab usu rationis. Sane concipi nequit exercitium libertatis, quin simul habeatur advertentia aliqua, reflexio, attentio, et comparatio, qua relationem seu nexum objecti cum nostra perfectione cognoscimus, et unde objectum ipsum velut nobis bonum apparet et concipitur. Porro id genus operationes ad rationem ejusque usum pertinet (§. 387.). Hinc pueri, somniantes, amentes, ebrii, phrenetici, qui usum rationis per id tempus non habent, ne usu quidem libertatis donantur.

583. Quid porro est, quod voluntatem in liberis suis volitionibus nolitionibusque ultimo determinat? *Esse practicum*, ut ajunt, intellectus *judicium*, quo nempe rem aliquam spectando sub praesentibus specialibus ejus circumstantiis tum in se, tum in ordine ad praesentem nostrum statum, definimus, rem illam amplectendam esse vel respuendam (*Ontol.* §. 210.), plerique de Schola Philosophi æque ac Theologi arbitrantur: Leibnitius, Wolfius, Baumeisterus, aliique plures, potissimum germani Philosophi esse distinctam boni vel mali repraesentationem, seu rationem objectivam, quam ipsi *sufficientem* adpellant (*ibid.* §. 189.): alii denique, quos inter Scotistæ, Samuel Clarkius, ceteri utrumque negant, ac putant, esse ipsam voluntatem, quae propria vi et energia ad bonum finitum sibi ab intellectu repraesentatum libere sese ultimo determinat.

PRO-

PROPOSITIO I.

Humana voluntas a practico intellectus judicio in liberis suis volitionibus nolitionibusque ultimo non determinatur.

584. *Pr.* Vel posito practico intellectus judicio, necessario determinatur voluntas nostra, vel non. Si hoc alterum: ergo practicum judicium non illud est, quod ultimo voluntatem determinat: in hac enim hypothesi, ipso etiam supposito, voluntas est adhuc indifferens, quemadmodum postulat libertas, atque ideo aliquid praeterea requiritur, a quo determinetur; quod cum sit posterius ipso judicio immediateque cum determinatione conjunctum, hoc postremum, non autem judicium est id, quod ultimo voluntatem determinat. Sin porro primum illud, hoc est, si posito judicio practico, necessario determinatur voluntas: jam cum hoc judicium necessario determinans antecedat ipsam determinationem, nulla eidem voluntati restat antecedens libertas, nisi dicatur, practicum illud praeviumque judicium, a quo necessario voluntatis determinatio procedit, esse omnino liberum. Sed quaesiverim, num judicium illud sit liberum quatenus fit ab intellectu; an potius quatenus a libera voluntate imperatur? Non equidem primum: quippe ex communi verissimaque doctorum consensione intellectus per se inspectus liber non est. At si alterum, peto qui esse istud possit? Nam aut voluntas ab alio praecedante judicio practico determinatur ad imperandum laudatum judicium, aut non. Si hoc alterum: ergo sicut sine judicio practico posset aliud judicium practicum libere imperare, ita etiam posset sine ipso velle aut nolle, atque hinc tantum abest, ut *voluntas* a judicio practico necessario determinetur, quin potius practicum ipsum judicium inutile esset ac prorsus rejiciendum. Sin autem ab altero praecedente judicio practico determinatur; quaero quod antea, an scilicet necessario, vel non, atque ita porro. Quare vel nulla esset libertas humana, vel adstruendus progressus in infinitum, vel denique concludendum, judicium practicum non esse illud, quod ultimo voluntatem determinet. Non equidem priora illa: ergo hoc postremum. *Q. E. P.*

585. *Schol.* 1. Eodem argumento probari quam facile potest, libertatem non esse in praevia consultatione constituendam; quod plures maxime ex Leibnitianis opinantur. Quandoquidem

doquidem praevia haec consultatio omnesque et singuli actus, qui ad ipsam requiruntur, vel procedunt a libera voluntatis determinatione sive imperio, vel non. Si hoc alterum; ergo consultatio illa, quae est operatio intellectus, est quoque per se necessaria, atque ideo non libera, neque in eadem constituenda est libertas. Si primum illud; ergo non in consultatione bene vero in voluntate, quae in consultationem illam influeret, *formaliter*, ut ajunt, contineretur. Hinc consultatio non confert ad volitionem nolitionemque, quatenus est *libera*, sed tantum quatenus *provida* est ac *prudens*. Facile etiam constat, praeviam consultationem eodem modo quoad voluntatis determinationes se habere, quo se habet judicium practicum. Quare sicuti hoc judicium non ultimo voluntatem determinat (§. 584.), ita eamdem non ultimo determinat laudata praevia consultatio.

586. *Schol.* 2. Neque porro quae Adversarii nobis objiciunt, magni momenti sunt. Nam quod voluntas nunquam sine judicio practico determinetur, nihil refert: quippe aliud est quod judicium practicum saltem implicite praerequiratur; qua de re nihil nostra; et aliud quod judicium illud voluntatem ultimo determinet; quod negamus. Dices fortasse, judicium de quo loquimur, esse *ultimum*; at ultimum esse non posset, nisi voluntas ultimo ab ipso determinaretur. Verum imprimis de praevio judicio practico universim spectato hoc loci disputamus, quod potest etiam esse non *ultimum* (*Ontol.* §. 210.). Tum dicimus esse ultimum, non quia ultimo voluntatem determinat, bene vero quia voluntas juxta illud ultimo se se determinaret, unde non judicium ultimo determinat voluntatem, sed voluntas judicium. At, inquis, nunquam voluntas contra judicium practicum operatur vel operari potest. Ita profecto: nam cum judicium ea de caussa *ultimum* sit, quod voluntas juxta ipsum se se determinaverit; haec sane nequit in hac hypothesi contra illud operari, quin dicamus, ipsam voluntatem juxta simul et contra illud ipsum judicium sese determinasse, seu, quod perinde est, judicium illud esse simul ultimum et non ultimum, quod omnino repugnat. Ergo, urges iterum, si voluntas a praevio judicio practico non determinatur, poterit eidem judicio obsistere vel etiam oppositum operari; quod dici non potest: nam illud judicium, quod exiberet rem tamquam bonam atque hic et nunc faciendam, spectari jure potest velut repraesentatio boni seu motivum. Si igitur posset voluntas eidem obsiste-

re

re vel oppositum operari, motivo obsisteret, et contra motivum operaretur; quod quis ferat? Hanc difficultatem et in Ontologia et superius satis luculenter diluimus. Ex inibi dictis constat, voluntatem posse judicio illi sive motivo per motivum *negativum* non adhaerere seu volitionem suspendere, vel etiam illud respuere atque oppositum agere, si quidem intercedat aliud judicium practicum sive motivum, juxta quod voluntas ipsa sese ad oppositum libere determinet. Mittimus cetera: neque enim tanti ponderis sunt, ut in ipsis diutius immoremur.

PROPOSITIO II.

Humana voluntas a boni vel mali finiti repraesentatione ultimo non determinatur.

587. *Pr:* Posita boni finiti repraesentatione, vel potest voluntas humana volitionem cohibere, vel non potest. Si hoc alterum; ergo nulla est in voluntate libertas. Neque porro sive ad judicium practicum sive ad consultationem confugiant Leibnitiani; utrumque enim jam praefocavimus (§. 584. 585. *et Ontol. Annot. ad* §. 220.). Sin autem potest; ergo posita boni repraesentatione, voluntas potest adhuc esse indeterminata; ergo ut re ipsa ultimo determinetur, quidpiam aliud praeterea requiritur; ergo a laudata finiti boni repraesentatione ultimo non determinatur. Hoc idem de repraesentatione mali finiti eodem jure dictum sit; quaerimus nempe, utrum eadem posita, possit necne voluntas nolitionem suam cohibere? Quidquid reponant, eodem, quo mox usi sumus, argumento Leibnitianos perstringimus. Quae cum ita sint, humana voluntas &c. *Q. E. P.*

588. *Corol.* Hinc leibnitiana sufficiens ratio, quae in una boni malive repraesentatione sita est (*Ontol.* §. 189.), humanam libertatem prorsus evertit. Nam praeter alibi demonstrata (*ibid.* §. 220.), laudata repraesentatio dici nequit voluntatem ultimo determinare, quin simul nullam relinquat in voluntate ipsa obsistendi potestatem (§. 587.). Jam vero hac potestate sublata, nulla amplius est vel esse potest indifferentiae libertas.

PRO-

PROPOSITIO III.

Voluntas est. quae vi propria atque energia juxta boni malive repraesentationem libere sese ultimo determinat.

589. *Pr.* Id ex hactenus dictis manifeste sequi videtur. Aliquid profecto esse debet, unde voluntas ultimo determinetur: aliter enim quidpiam sine ratione sufficiente admitti oporteret: quod plane repugnat (*Ontol.* §. 194.). Illud autem non est neque praevium judicium practicum, neque consultatio, neque demum repraesentatio boni malive finiti (§. 584. 585. 587.). Superest ergo, ut sit ipsa voluntas, quae vi propria atque energia juxta &c. *Q. E. P.*

590. *Corol.* In hac itaque mentis humanae vi, energia, facultate sese citra quamvis necessitatem ultimo determinandi sita est vera ac proprie dicta indifferentiae libertas.

ARTICULUS II.

De quibusdam Mentis humanae affectionibus, nempe de inclinationibus, habitibus, atque affectibus.

De Inclinationibus.

591. *Def.* Mentis humanae *inclinationes* seu *propensiones* sunt certae quaedam ipsius affectiones, quibus in res sibi suaeque naturae consentaneas tendit.

592. *Schol.* Inclinationes, de quibus loquimur, intelligi facilius possunt ex intima uniuscujusque experientia, quam verbis explicari. Earum originem diligentius perscrutemur. Praecipuus finis, quantum ad hominem spectat, ob quem Deus Optimus Maximus hominem ipsum condidit, sane fuit, ut is esset omnino beatus, nempe ut statum omnis motus doloris tristitiaeque expertem, simulque omni perfectaque, quantum capax est, voluptate refertum consequeretur. Prima itaque hominis inclinatio est propensio *ad beatitudinem.* At beatitudinem obtinere non potest, nisi bona, quae sunt ad beatitudinem ipsam media, possideat. Hinc altera ejusdem *ad bonum in genere* inclinatio. Porro beatitudinem habere in se nequit, eaque frui nisi ipse conservetur. Quam

ob caussam tertia quaedam, nempe *ad sui conservationem* inclinatio in eodem homine inest. Nemo tandem vel quaerit bona, vel iis potitur, vel ex eisdem voluptatem consequitur, nisi polleat cognoscendi potestate, qua verum bonum, ac media ad ipsius boni assecutionem idonea discernat, ne scilicet mala pro bonis, et pro beatitudine miseriam sibi comparet, dumque omni naturae conatu beatus esse vult, omnino miser fiat. Hinc quarta, quae est *ad verum*, inclinatio. Priores illae ad voluntatem, haec autem posterior ad intellectum pertinent. Si *in actu*; ut ajunt, *primo* spectentur, omnibus omnino hominibus communes sunt, ac naturales; quippe in ipsa intellectus, cujus objectum est veritas, et voluntatis, cujus objectum est bonitas, finis autem fruitio ac beatitudo, essentia continentur. Hoc sensu ingenitae sunt, neque ulla ratione a nobis vel acquiruntur vel pendent. At vero ut *actu* exerceantur, propensio ad verum pendet ab iis omnibus, quibus intellectus ad rerum cognitionem excitatur; quae autem pertinent ad voluntatem, pendent ab intellectu: voluntas enim est per se *cæca*, neque exire in actus potest, nisi intellectus objecta, in quae illa tendat, eidem repraesentet; uti ex iis luculenter constat, quae de appetitionibus et aversationibus, volitionibus et nolitionibus paullo superius disseruimus. Hinc peculiares actuales propensiones, quae ex laudatis nascuntur, non in omnibus plane eaedem et aequales sunt, sed in variis variae pro ætatis, loci, temperamenti, institutionis, consuetudinis, finis, status, dignitatis, ceterorum diversitate.

595. Quaevis potentia quantum ad objectum sibi proprium determinata est ac propensa, tantum ab objecto altero, quod illi contrarium est, refugit; velut lapis, qui ea vi, qua ad centrum fertur, eadem a centro ipso recedere repugnat. Merito propterea laudatis quatuor hominis inclinationibus totidem *declinationes* opponimus, nempe declinationem *ab infelicitate*, *a malo*, *a sui destructione*, ac demum *a falso*. Hinc natura ipsa ab iisdem omni conatu abhorremus. Ea quoque ut *actu* exerceantur, ab aliis rebus pendent; tum peculiares actuales declinationes non eaedem in omnibus sunt et aequales, quemadmodum de inclinationibus mox dicebamus (§. 592.).

De Habitibus.

594. *Def.* *Habitus* est certa quaedam potentiae sive virtutis ad operandum facilitas; puta qua Geometra mathematicas suas operationes nullo fere negotio absolvit.

595. *Schol.* Multiplex est: *Innatus*, si quidem vel primo existentiae momento impressus in nobis fuerit; ut habitus scientiae in Adamo: *Infusus*; qui a naturae Auctore conceditur: *Acquisitus*, qui exercitatione a nobis comparatur; unde vulgatum illud: *ex repetitis actibus fit habitus*. *Naturalis* qui secundum naturae ordinem est; ut habitus naturalis scientiae: *Supernaturalis*; qui est praeter ordinem naturae, quales sunt habitus fidei spei et charitatis, qui in sacro regenerationis lavacro in nobis imprimuntur.

596. Quamvis naturales et acquisiti hominis habitus ab anima simul et a corpore, aliqua saltem ratione dependeant ob mirum illud, quod inter eas substantias intercedit, commercium; alii tamen dici solent *corporei*; ex quo corpore magis quam mente exerceantur, ut scribere, loqui, ambulare: alii vero *mentales*, quod nempe a mente magis quam a corpore quoad eorum exercitationem dependeant. Porro habitus mentales alii ad intellectum pertinent, uti habitus reflectendi, ratiocinandi, abstrahendi, similium, et *intellectuales* vulgo adpellantur; et alii ad voluntatem, ceu habitus fortitudinis, prudentiae, misericordiae, similium, et *morales* dicuntur; qui praeterea si bonum spectent, *virtutes*; sin autem malum, *vitia* dici consueverunt.

597. Habitus, naturales praesertim et acquisiti intenduntur exercitatione, desuetudine vero; contrariisque habitibus remittuntur vel etiam omnino delentur. Sicuti enim id genus habitus ex repetitis actibus nascuntur, ita quoque iisdem et conservantur, et perficiuntur, et augentur, adeo ut quandoque veluti novam naturam nobis superaddant; *quam licet expellas furca, tamen usque recurrit*. Contra evenire debet, si aut desuetudo aut contrarii habitus locum habuerint. Hinc etiam liquet, cur habitus quo plures fuerint, eo quoque debiliores esse soleant. Nam in priori hypothesi actus non toties, quoties in altera repetuntur. Cetera facili negotio explicari possunt, maxime si ea, quae de memoria, quatenus est habitus, superius diximus (§. 489. *et seqq.*). probe teneantur.

De Affectibus .

598. *Def. Affectus* , quos Recentes quidam etiam *passiones* adpellant , sunt certae quaedam naturae humanae commotiones , quae ex boni malive perceptione procedunt , quaeque cum aliqua praeternaturali sanguinis , spirituum animalium , corporisque vel ejus partium perturbatione conjunguntur .

599. *Schol.* Cum praeternaturali quodam corporis ejusque partium motu atque agitatione affectus conjungi , quisque sive in seipso experiri , sive observare in aliis quam facile potest . Quis enim in metu gelidum per ossa tremorem non sentiat ? quis non videat , irati oculos ardere , corrugari frontem , vultum inflammari ? Affectus universim spectati plurimum a corporis constitutione affectione temperamento dependent , proindeque etiam a sanguinis qualitate et circulatione cum haec utraque in temperamentum ipsum non minimum influant (*Phys. Partic.* §. 1230.) ; unde Physiegnomi ex structura etiam externa facile conjiciunt , ad quosnam affectus sive passiones dati homines sint procliviores .

600. Plures sunt . *Veri* , qui objectum spectant , quod reale sit , eorumque naturae respondeat , neque ipso id genus objecto majores sunt aut minores ; qui autem secus sese habent , *falsi* sunt ac dicuntur . Puta qui timet , ubi nulla nisi chimaerica et phantastica est timendi caussa ; vel plus timet aut minus , quam reale objectum timoris expostulat , is *falsis* affectibus agitatur . *Sensitivi* seu *naturales* , qui rationis consultationem usumque libertatis antevertunt ; qui autem consultationem hanc et libertatis usum subsequuntur , *rationales* vocantur . *Primitivi* qui ex aliis affectibus non nascuntur ; qui autem nascuntur ex aliis , *secundarii* . *Simplices* qui ex aliis non componuntur ; qui vero secus , *compositi* . *Moderati* , qui statutos a recta ratione limites non excedunt , qui porro illos excedunt *immoderati* sive *effrenes* , qui etiam *perturbationes* potius quam affectus dicuntur .

601. Non omnes quoad affectuum primitivorum designationem , tum quoad aliorum divisionem , numerum , originem , theoriam conveniunt . Opinamur , *gaudium* et *tristitiam* esse affectus primigenios , ex quorum priori ceteri omnes affectus *grati* sive *jucundi* , ex posteriori vero *molesti* sive *ingrati* dimanent . Et re quidem vera quilibet affectus ex boni malive perceptione enascitur (§. 598.) . Placet bonum perce-

ptum

ptum, unde appetitio et voluptas; perceptum malum displicet, unde aversatio et taedium. Porro ex volutate seu boni persensione, quæ affectus non est, oritur *gaudium*, ex tædio autem seu persensione mali, *tristitia*. Itaque hi duo affectus esse videntur primi illi, qui ex boni malive perceptione in nobis nascuntur. Quomodo autem ceteri omnes ex iis promanent, exponi cum viris doctis ita potest. Et quidem ad eos, qui complectuntur gaudium, quod pertinet, gaudium ex fine mali est *hilaritas*: ex bono praesenti *jucunditas*, *tripudium*, *laetitia*: ex bono futuro universim *desiderium*, ex certo *spes* ex certiori: *fiducia* ex bono praeterito commodum generante *voluptas*: ex conatu bonum obtinendi *cupiditas*, quae evadit *animositas* seu *magnanimitas*, si conjuncta sit cum fiducia superandi difficultates, quibus bonum illud neutiquam potest adeo facile obtineri, et *longanimitas*, si ne ipsa quidem laborum atque difficultatum diuturnitas animum frangat; eadem porro animositas vertitur in *audaciam*, si adsit animus adgrediendi viribus majora, aut etiam in *temeritatem*, si audacia ipsa sit praeceps: ex benefactis a nobis *acquiescentia*: ex favorabili justoque aliorum de nobis deque rebus nostris præclaris judicio *gloria*: ex sensibili voluptate *appetitus*, *aviditas*, *concupiscentia*, *libido* pro voluptatum specie diversa, a amoris intensitate: ex alterius perfectione *amor*, qui est grata animi affectio, qua is fertur in bonum, in eoque veluti conquiescit et complacet: ex amore cognoscendi res novas *curiositas*: ex amore erga unum vel alterum hominem conjucto cum animo eidem benefaciendi *amicitia*: erga parentes aut filios &c. *amor filialis*, *patrius* &c.: erga seipsum *philaunon* graece, latine *amor proprius* sive *amor sui*, qui si ceteros negligat, parumque curet leges honestatis, est *amor proprius amor* sive *egoismus*; sique conjunctus sit cum nimia sui aestimatione, vel cum immeritae aestimationis alienae de se cupiditate non sine aliorum despectu, est *vanagloria*, aut *vanitas* sive *animi tumor*, aut *studium levitatis*, aut *superbia*, vel etiam *jactantia*, quoties accedat inanis de se praedicatio; erga Deum ut parentem amantissimum *charitas*, quae omnes complectitur amoris, gratitudinis, obsequii, reverentiae, subjectionis affectus; erga benefactorem non sine obsequioso accepti beneficii sensu *gratitudo*; erga amanti similes *benevolentia*, quae est internum de alterius bono gaudium ac desiderium, quae-

que

que evadit *beneficentia*, si efficax sit et operosa; erga virtutes *amor honestatis, justitiae*, similium; erga divitias ad thesaurizandum *avaritia*, vel etiam *sordes*; si quis sibi neget, quae postulant natura, ratio, conditio; urbanitas; tempus; occasio; erga honores ac dignitates *ambitio*: ex desiderio et cura promovendi aliorum felicitatem *studium*: ex amore singulari praesertim ob animi dona praestantiora *favor*: ex alterius imperfectione *malevolentia* et *malignitas*: ex alterius rebus prosperis *gratulatio*: ex optima de praeclaris aliorum meritis opinione *aestimatio, reverentia, veneratio*, quibus *contemtus* opponitur aut *despectus*: ex objecto raro atque extraordinario *admiratio*, quae si excedat; evadit *stupor*: ex desiderio acquirendi perfectionem aut bonum, quod in aliis est; *aemulatio*: ex absurdo *risus*.

Ad affectus tristitiam involventes quod attinet, tristitia ex difficultate obtinendi bonum est *diffidentia* et *pusillanimitas*; scilicet abjectio animi inepta ad magna aggredienda: ex privatione boni praeteriti incommodum generante, vel ex praeterito malo, quod nos aegre sustinuisse recordamur: *dolor*: ex mora boni sperati *desiderium*: ex malo, quod obvenire nobis posset, *metus*: ex malo futuro appropinquante *timor*, qui si oriatur ex malo levi facilique vitatu, generati ipsius mali *contemtum*, aut *confidentiam* et *spem* illud vitandi, tum contra illud idem *animositatem* vel *audaciam* aut etiam *temeritatem*: ex malo ingenti *horror*: ex gravi malo impendente et inevitabili *depressio animi* seu *desperatio*: ex malo improviso *terror*: ex malo praesenti *aegritudo, cordolium, molestia, solicitudo, angor, anxietas*, scilicet gradus diversi prout malum magis minusve persentiscitur; quae quidem tristitia si in habitum transeat, evadit *moeror*: ex voluptatis impedimento, vel sensatione mali *impatientia*, quae evadit *immoderantia*, si sit praepotens studium compellendi aliorum opiniones et actiones ad proprium sensum ac voluntatem: ex nimia sensationis mali duratione *taedium*: ex defectu sensationum jucundarum, quas nempe adesse vellemus, *molestia* sive *fastidium*: ex honoris defectu vel amissione, sive ex sinistro aliorum de nobis judicio *dejectio animi* seu *pudor*: ex mali perpetrati memoria *stimulus conscientiae* sive *interior solicitudo*: ex molestia patrati mali *poenitentia*: ex alterius imperfectione et calamitate *commiseratio* ex alterius malo levi et ob humanam imbecillitatem venia

digno

digno *misericordia* : ex injuria vel malo nobis ab aliis illato non sine stimulo ad vindictam *ira* sive *iracundia* , quae dicitur *furor* , si haec agitatio animo procellosa sit ac diuturna : ex ira inveterata vel ex alterius perfectione non sine destructionis aut remotionis objecti odibilis desiderio *odium* quod coniunctum cum interno alieni mali desiderio et gaudio vocatur *malevolentia* , *malignitas* vero , si malitiam , quamdam nempe astutiam plerumque internam secum ferat; vel denique *maleficentia* , si malitia et odium sint operosa : ex ira statim erumpente *amaritudo*; ex contumescente autem *bilis* ; ex observante demum aut quaerente ulciscendi tempus et commodum *inimicitia* : ex alterius aut bono , quatenus illud nobis vel amatis nostris evenire peroptamus , *invidia* aut *livor* : ex praemio vel dignitate ab immerente obtenta , vel ex actione mala prospere iniquo homini cedente *indignatio* ; postremo gaudium ex bono , quod unis nobis convenire putamus , simulque tristitia , indignatio , metus aut timor ex eo , quod alii bonum illud vel assequuti jam sint , vel sint assequuturi , braevius , ardens privatae fruitionis desiderium simulque tristitia , quod alii ejusdem fruitionis sint participes , est *zelotypia* .

602. Paucis contraximus quæ ad inclinationes , habitus , atque affectus pertinent ; ejusmodi tamen sunt , ut tirones nostri saltem aliquam de iisdem notitiam , quantum spectat ad Metaphysicam , habere commode possint; tum veluti fundamenta jecerint , quibus superstruitur *Ethica* seu *moralis Philosophia* , cujus omnino interest de hisce Mentis humanæ affectionibus , præsertim vero de Affectibus longiori accuratiorique inquisitione disserere .

FINIS PSYCHOLOGIÆ .

INDEX

SECTIO II.

SECTIO III.

Articulus

Explicatur

ERRA-

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 9.	lin. 17	contraversia	controversia
11	3	*Historie*	*Histoire*
13	8	exitentia	existentia
14	35	eadem	eaedem
15	1	*spiritualite*	*spiritualitate*
16	1	homanae	humanae
17	34	anteaetae	anteactae
18	11	repunant	repugnant
20	20	*immediate*	*immediata*
	37	affectusque	effectusque
22	1	Eedem	Eaedem
25	25	animam	anima
26	8	semplicia	simplicia
33	2	fetum	foetum
39	31	destruatur	destruantur
40	3	repraesentati	repraesentatis
	32	inuato	innato
43	11	pro pera	prospera
44	38	aedunt	laedunt
46	27	enima	anima
	29	nullam	nullum
49	31	obtineret	obtinerent
50	3	veteris	vetitis
	32	quod mala	quoad mala
53	22	super sit	super-sit
54	11	constat	consistat
	27	sagrilegium	sacrilegium
56	9	filiorim	filiorum
	24	poscis	possis
64	17	distinguntur	distinguuntur
87	40	psaesertim	praesertim
88	19	quaam	quam
96	37	minutissimu	minutissima
99	27	iu	in
100	36	hubuere	habuere
101	35	specie	species
108	3	manea	manca
109	19	distituitur	destituitur
119	24	utramque	utraque
126	16	ralionalis	rationalis

Pag.	lin.		
	24	reflectionis	reflexionis
127	15	si	sit
129	6	existentiam	existentia
	17	corpuscoli	corpusculi
136	17	eveniret	evenirent
146	16	quaæ	quæ
151	14	*exacte*	*exsacte*
	15	*exequantur*	*exsequantur*
	16	*harmonica*	*harmonicae*
	28	ergo	ego
152	4	recidere	recedere
153	30	efficitur	afficitur
160	4	vel	velle
162	36	ipsis	ipsi
170	3	quoniam	quonam
171	6	repugnant	repugnat
179	36	parallelepibedum	parallelepipedum
261	1	quæcumquae	quæcumque
203	27	intersogasset	interrogasset
210	20	refuditur	refunditur
211	12	praetice	practice
220	15	sptrituale	spirituale
222	30	*quid*	*qui*
226	6	praexistentiaæ	praeexistentiæ
	34	ilud	illud
229	4	*intetionales*	*intentionales*
	29	specis	species
232	31	indivduum	individuum
240	24	*Philophi*	*Philosophi*
241	33	spestat	spectat
246	2	repetanur	repetantur
253	10	ae	ac
259	1	ditruitur	detruditur
263	24	manifestae	manifeste
265	27	divesi	diversi
272	20	simul	simul
274	32	*adhacret*	*adhaereret*
275	6	consitutionem	constitutionem
282	22	futiris	futuris
284	11	necesesario	cecessario
286	7	qued nultimo	quod ultimo

Pag.	lin.		
293	10	, ex certo *spes*	: ex certò *spes* ,
	23	amoris	ex amoris
	31	*amor proprius amor*	*amor proprius malus*
294	22	generati	generat
	32	*immoderantia*	*intolerantia*
	40	, *commiseratio*	*commiseratio ;*
295	3	agitatio animo	agitatio animi